SYNTAGMA

DE S. R. IMPERII SACROSANCTIS RELIQVIIS, ET REGALIBVS MONVMENTIS, PRÆSERTIM DE QVADRVPLICI LANCEA;

Dominica, Mauritiana, Constantiniana, & Carolina.

Auctore

IACOBO GRETSERO SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

1618.

INGOLSTADII,

Ex officina Ederiana, apud Elisabetham Angermariam Viduam.

Cum facultate Superiorum.

Sumptibus Ioannis Hertsroi Bibliopolæ Monacensis.

AD LECTOREM.

ROmanorum Imperatores in Occidente, Francos dico et Germanos, nõ fuisse Lutheri vel Caluini doctrina imbutos, vel vnica Sacrarum Reliquiarum diligens conquisitio & asseruatio, earundemq; pia veneratio abundè docet: nam hæreseos Islebica et Lemannicæ ea est indoles, vt quos occupat, è vestigio in Lipsanomachos transformet.

Cum igitur Augustißimi, quos dixi, Imperatores Sacras Reliquias potius studiosè collegerint, & quasdam ex illis in Thesauris Imperij, inter abdita & charißima Cimelia reposuerint, vt ad Successores perpetua serie transmitterentur, quiuis perspicuè intelligit, illos alio spiritu instinctos fuisse; alio Lutherũ & Caluinum cum suis asseclis.

De quibus Reliquiis seu Cimeliis hanc dissertationem conficere libuit, idq; eò magis,

quòd in illis lancea seu potius cuspis lanceæ Dominicæ, clauus, & aliquid sanctæ Crucis contineantur, de quibus omnibus, in Opere de S. Cruce tam copiosè scripsimus. Ex his tamen, quæ hic disputantur, nonnullis obscurius antea dictis lucem accendere licebit. Tu lector vale, & si saluus esse cupis, maiorum religionem ac pietatem imitare.

Facultas R. P. Prouincialis.

Cum hunc commentariolum de S. R. Imperij sacrosanctis Reliquiis & Regalibus monumentis; Auctore P. Iacobo Gretsero, Theologi ad id deputati recognouerint, & approbauerint, Ego MELCHIOR HÄRTELIVS *Societatis* IESV, *per Superiorem Germaniam Prouincialis; potestate mihi factâ ab Admodum R. P. N. Mutio Vitellesco Præposito Generali eiusdem Societatis, facultatem concedo, vt typis excusus publicetur. Ingolstad. 2. Martij Anno Christi 1618.*

Melchior Härtelius.

INDEX

INDEX CAPITVM HVIVS SYNTAGMATIS.

SYN-

SYNTAGMA DE INSIGNIBVS IMPERII.

CAPVT PRIMVM.

Quaenam sint sacri Romani Imperij sacra Cimelia & Lipsana.

Κειμήλιον vocant Graeci, quidquid in supellectile ceu pretiosius & rarius, magna cura & studio reponi, & asseruari solet. Hinc κειμηλιάρχης seu κειμηλιάρχος, qui pretiosae supellectili custodiendae praeest. *Thesaurarium* nominare licet. Huius generis non vnum, sed plura κειμήλια S. R. Imperium possidet, quae aliquando Insignia Imperialia; aliquando *Regalia*. Interdum *Clinodia*; Germanis: Königliche Zier/ Graecè βασιλικὰ κειμήλια, κόσμια, Φιλότιμα, & *Symbola* appellātur; quorum pars ad inaugurationem, & inuestituram Electi Caesaris adhiberi solet: suntque duplicis generis; alia prorsus sacra, vtpote Christi, vel aliquorum coelitum Reliquiae; alia non quidem vt Christi & Sanctorum Lipsana, sed vt illustrium virorum monumenta, veneratione & asseruatione digna censentur; nam Imperatores, qui post Carolum Magnum in occidente imperarunt, si quid sacrosanctum, vel

vel rarum adepti essent, id in secretiore Imperij thesauro reponebant; quâ curâ factum est, vt tandem integrum quasi peculium conflaretur, sine cuius possessione nemo erat, qui se absolutum, & vt sic loquar, perfectum Cæsarem arbitraretur.

At quæ nam ista insignia? *Quatuor sunt*, inquit Petrus de Andlo. lib. 2. de Imperio Romano cap. 8. *Diadema, gladius, Sceptrum, & pomum aureum seu globus.* Nimis breuiter & concisè Petrus; Cuius breuitatem supplet nonnihil Scholiastes eius Freherus, cum ait, præter hæc quatuor Augustalis dignitatis propria ornamẽta, plura sunt Clinodia, Reliquiæ, & anathemata, quæ ex parte enumerantur in Vita Henrici IV. ab Anonymo, cum dicit filium eius Henricum, misso legato, mãdasse, *vt absque mora crucem, coronam, & lanceam, cæteraq; sibi transmitteret.* Quod Henricus filio in quâdam epistolâ obiicit: *Lanceam & Crucem, & omnia regalia insignia vi & timore mortis à nobis extorsisti.*

Henricus Rebdorffensis in Annalibus, Anno MCCCL. *Ludouicus Marchio Brandeburgensis insignia Imperialia, videlicet Lanceam, quâ perforatum fuit latus Domini nostri* IESV *Christi, & clauos & gladium Caroli Magni, nec non alia, quæ reseruata fuerunt in oppido Monaco per Ludouicum Patrem suum, tradidit Carolo* (IV.) *Regi prædicto in Nurenberg, qui in Bohemiam, in ciuitatem Pragensem ipsa deduxit. Vnde Innocentius Papa postea de his speciale festum indixit:* præcipuè de lanceâ & clauis, vt ex ipso Innocentij VI. Diplomate infra audiemus.

Plura adhuc cõmemorat idem Rebdorffensis Anno M. CCC. LXI. *Imperialia insignia, quæ tunc vidi* (Norinbergæ) *de quibus Papa festum indixit, sunt ifthæc. Ferrum Lanceæ, quæ transfixit latus Christi; item clauus cum*

aliquali petia (particula) *ligni Sanctæ Crucis, qui transiuit manum Christi. Item gladius Karoli Magni primi, Imperatoris Romanorũ, & Corona, quâ coronatus est in Imperatorem à Leone Papa Tertio. Item gladius Mauritij Martyris. Item petia brachij Sanctæ Annæ Matris Mariæ Virginis, & dens Ioannis Baptistæ. Item petia chordæ, quâ Christus fuit ad columnam ligatus, spongia, quâ fuit in Cruce potatus, & aliæ plures Reliquiæ Sanctorum.*

Leo de Rosmital in suo Itinerario. *Norimbergæ has Sanctorum Reliquias spectauimus.*

*Primò, monstratũ est nobis * præsepe, in quo Genitrix Dei infantem* IESVM *posuerat; deinde cubitus Sanctæ Annæ, & dens S. Ioannis Baptistæ, item frustulum ligni de Sanctâ Cruce, in quâ Christus crucifixus fuerat, & clauus dextræ manus, quo idem cruci affixus erat. Postea ostendebatur nobis gladius Diui Mauritij, itemque alius ensis Diui Caroli Imperatoris, qui ipsi cœlitus à Deo datus esse dicitur, vt eo aduersus hostes suos Ethnicos vteretur, eiusdemque calcaria, ocreæ, calcei. Vidimus deinde catenas Sanctorũ Petri & Pauli, qui pro nomine Dei passi sunt. Deinceps conspeximus Lanceã, qua diuinũ latus Christi transuerberatum fuerat. Super eam Sacerdotes annulos nostros ponebant, vt qui dolore vel punctione lateris infestarentur præsens & certum apud se remedium haberent.*

* non totum, sed particula.

Dubrauius lib. 22. Historiæ Bohemicæ, vbi de Carolo IV. Imp. sermo est; *Consueuerant*, inquit, *Cæsares, insignia Cæsarum cum Sanctis quibusdam Reliquiis apud Successores deponere, quæ tunc omnia Ludouicus Brandeburgicus post obitum Patris Ludouici Bauari Imperatoris, in suâ potestate habuit, videlicet Lanceam, quâ perforatum fuit corpus Domini, dexteram portionẽ S. Crucis, cum vno clauo, & mappa quæ vltima mensa Domini strata fuit; ac gladium Caroli Magni, & alia plura; non magni videlicet cuncta pretij apud ta-*

lium contemptores; at apud Carolum (IV. Regē Bohemiæ) *in tanto pretio posita, quantò nulla res profana vel pretiosissima.* Quapropter Ludouico inuestituram & possessionem Marchiæ Brandeburgicæ absque mora concessit ac confirmauit.

A Godefrido Viterbiensi parte XIX. Chronici, hæc insignia enumerantur simul & explicantur. Crux, gladius, Lancea S. Mauritij à Bosone Rege Arelatensi Othoni Magno Imperatori donata. Globus aureus, & crux globo imposita. Diadema seu Corona.

Andreas Ratisbonensis in Chronico Bauariæ; *Regalia*, id est, *Crucem, Lanceam* (mendosè editio Freheri, *Lauream*) *& coronam reddidit.*

Apud Martinum V. Pontificem in Bullâ de his ipsis insignibus & Reliquiis Imperialibus; quam infrà exhibebimus, sequentia Lipsana inuenies. I. partem viuificę Crucis, II. Lanceam, quâ Christi latus miles aperuit. III. particulam de catenis SS. Apostolorum Petri & Pauli, & S. Ioannis. IV. Tunicam S. Ioannis Euangelistæ. V. Dentem Ioannis Baptistæ. VI. Gladium S. Mauritij. VII. Gladium Caroli Magni. VIII. Coronam. IX. sceptrum. X. pomum seu globum. XI. Induméta Imperialia Caroli Magni Imperatoris.

Distinctius de ornamentis, & digmatis Imperialibus Hartmannus Maurus lib. de Coronatione Caroli V. apud Aquisgranum, cui inaugurationi Maurus ipse spectator interfuit. Accipe verbi Mauri. *Ornamenta Diui Caroli* (Magni) *quibus ex more coronandi Reges induuntur, Norinbergensis magistratus summâ cum diligentiâ atque veneratione, publicè ad aliquot secula asseruauit; quæ tempestiuè Aquisgranum delata, vbi Reges coronandi fuerint, rursus coronatione expletâ, asportantur, subque fidâ custodiâ*

stodiâ recluduntur. Subnotatas autem Reliquias à Carolo (Magno) *gestatas Norinbergenses pro vero habent, traduntque, & inde eximiè coluntur, quæ sunt ista.* I. *Dalmatica alba holoserica pretiosissimis margaritis gemmisq; distincta.* II. *Aurea stola margaritis quoque adornata.* III. *Cappa holoserica violacei coloris, cui aurũ in modum aquilæ intextum est.* IV. *Amiculum rubei coloris, contextum pari modo magna aureâ aquilâ.* V. *corona aurea Caroli ex puro puto auro fabrefacta.* VI. *pomum seu globus aureus.* VII. *sceptrum aureum.* VIII. *Gladius Caroli Magni admodum grauis.* IX. *Duæ Dalmaticæ, vna violacei, altara nigri coloris.* X. *Duæ chirothecæ vnionibus pretiosisq; lapidibus ornatæ.* XI. *socculi duo aurei.* XII. *stola.* XIII. *Zona coriacea, & retinaculum eius aureũ, omnia pretiosis lapidib. affabrè decorata.*

Hæc iste, & alij Auctores antea nominati, de *Insignibus* Imperialibus, quorum nullus omnia, singuli aliqua duntaxat recensuerunt.

Extat libellus sermone Germanico de Reliquiis Imperialibus quotannis feria VI. post Dominicam in Albis Norinbergæ olim monstrari, & ad publicam venerationem exponi solitis; in quo istæ Reliquiæ enumerantur. I. *Frustillum de præsepi Domini.* II. *brachium S. Annæ.* III. *Dens S. Ioannis præcursoris.* IV. *particula de veste S. Ioannis Baptistæ.* V. *particulæ de triplici genere catenarum, quibus Sancti Apostoli Petrus, Paulus, & Ioannes, diuersis temporibus, & carceribus vincti fuêre.* Et hæc quidem sacra Lipsana primo missu spectatoribus ordine, quo enumerata sunt, ad spectaculum & cultum exhibebantur.

Secundo missu proferebantur, quæ ad Imperialia stemmata & digmata potissimum spectant. I. *Corona Imperialis referta sacris Reliquiis diuersorum miraculorum*

operatricibus. II. *varia vestimenta Regalia, Dalmatica, Stola, cingulum, sceptrum, & alia, vniuersim circiter viginti insignia seu Cimelia.* III. *Gladius Caroli Magni, quem ad Domini prælia fortiter prælianda cœlitûs ab Angelo acceperat.* IV. *Gladius S. Mauritij Thebeæ Legionis fortissimi Ducis.*

Tertio missu ostendebantur. I. *particula de mappâ mensaria, quâ in vltimâ cœnâ Dominus vsus est.* II. *particula de linteo, quo Christus præcinctus fuit, quando discipulorum pedes lauit.* III. *De corona spinea spinæ quinq., tribus hierothecis seu Monstrãtijs inclusa.* IV. *Notabilis portio de S. Cruce.* V. *Lanceæ ferrum seu cuspis, quâ sacrosanctum latus Christi in cruce pendentis apertum est, cui innexus clauus, vnus ex illis, quibus Dominus cruci affixus fuit.* VI. *Crux magna & pretiosa vtpote variarum Reliquiarum theca.*

Ostensione peractâ preces concipiebantur pro salute Pontificis, Imperatoris, Episcopi Bambergensis, Magistratus Norinbergensis, cunctique populi Christiani. Absolutis precibus benedictio dabatur cum cruce, & missio.

Obseruetur autem etiam extra Thesaurophylacium Imperiale, varia Caroli Magni *Clenodia* asseruata fuisse; nam vt de Aquisgrano nihil dicam, accipe quid Anonymus Auctor inter septentrionales scriptores Lindoborgij scriptum reliquerit de Ecclesia Bremensi; *Sanctus Carolus Magnus, Imperator, comperta sanctitate ipsius beati VVillehadi, eandem Ecclesiam regia munificentiâ largifluis fundauit bonorum temporalium possessionibus: ac eidem Ecclesiæ etiam dedit suæ regiæ maiestatis eximia insignia, quæ in eâdem Ecclesiâ honorificè conseruantur; videlicet crucem argenteam deauratam, lapidibus pretiosis redimitam, coram quâ deuotè adorauit crucifixum Dominum nostrum* IESVM *Christum, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, ac*

etiam ipsius S. Caroli trabeam seu tunicam Imperialem, in quâ Euangelium in eadem Ecclesia, in summis festis, ob ipsius reuerentiam, solenniter legitur, ac flasculam eius argenteam deauratam, imaginibus diuersis bene redimitam, ac chirothecas & calceamenta ipsius, quibus vtebatur in suâ regiâ maiestate, & etiam psalterium Diuæ ipsius cõiugis literis aureis bene & subtiliter confricatum.

At vbi nunc Carolina ista donaria, postquam Lutherus, & deinde Caluinus, in eam vrbem malum, imò pestilentem pedem intulerunt?

CAPVT II.

Quis asseruauerit, vel etiamnum asseruet hæc Cimelia.

CErtum est post Carolum Magnum semper plura lipsana & monumenta sacra in Imperij thesauro recondita fuisse, transmittenda ad posteros Reges & Successores; ita vt hæc stemmata nõ sint eiusdem æui; nam lancea *Constantiniana* adiecta est ab Henrico Aucupe, quam obtinuit à Rudolpho (Otho Frisingensis, *Otho lib. 6.* Arnulphum seu Arnolfum vocat,) Burgũdionum Rege. *Chron. cap. 18.* Lanceam S. Mauritij adiecit Otho Magnus, impetratam à Bosone Rege Arelatensi, si Viterbiensis vera *Viterb. in Chronico part. 19.* canit. Sic alia aliis temporibus Henricum & Othonem vel antegressis, vel subsecutis accesserunt; quæ olim semper erant in potestate Cæsaris seu Imperatoris, qui ea vbi libebat, asseruabat, & successori vel tradebat, vel relinquebat.

Nec credebant se stabiliter & securè imperio poti-

ri, nisi Imperialia ista ornamenta adepti essent. Hinc mortuo Conrado, Romanorum Rege huius nominis primo, *Eberhardus defuncti Regis frater, vt iussus erat à fratre, acceptis aureis armillis cum Chlamyde, lancea, & veterum Regũ gladio ac diademate, ad Henricũ Ducẽ Saxoniæ festinat, eiq́; fratris voluntatem, ac procerũ consensum detegit, regemq́; salutat*, vt ait ex Vitichindo Cuspinianus in Henrico Rege, qui *Aucupis* cognomentum tulit.

Defuncto Othone III. Imp. S. Heribertus Archiepiscopus Coloniensis Imperialia insignia sibi tuenda & custodienda sumpsit; quæ S. Henricus, mox vt in Cæsarem electus est, repetiuit, & sine dilatione S. Heribertus tradidit, tametsi Henricus sinisteriore in Heribertum esset animo, quod electioni eius non interfuisset.

Vita S. Heriberti Tom. 2. Surij.

Audiuimus iam antea Henricum V. simulac contra Patrem suum Schismaticum Cæsaream dignitatem obtinuit, regalia quoque postulasse.

Cap. 1.

Rebus humanis Henrico V. Imp. exempto, Regalia Imperij suam in potestatem redegit Fridericus Dux Sueuiæ, nepos Henrici ex sorore, qui eam ob caussam certum pignus Imperij adipiscendi se possidere existimabat, sed quomodo elusus & illusus fuerit, his verbis docet Albertus Stadensis in Chron. Anno Domini M. CXXVI. *Fridericus Dux Sueuiæ, post mortem Heinrici auunculi sui accepit Regalia, certissimus, quòd à Principibus eligeretur. Sed Albertus Moguntinus, ab Henrico quondam captiuatus, iniuriam in nepote vindicare disponens, complicibus coadunatis, consilium concepit, quo Regalia potestati Friderici eripiant. & sic ad alium eligendum roborentur. Ipsi ergò, de quibus Dux Fridericus minus certus erat, imò aduersarios æstimabat, consona voce eius electioni in publico applaudebant.*

bent. Vnde certior factus, ad fauorem Principum magis captandum, & vt sincerius ad Imperiū videretur accedere, quod etiam se fidelem ostenderet in commisso, regalia Principibus reddidit. Et quia ad hoc opus erat, sagaciter à promotione summouere, vtpote acceptum omnibus, quia liberalissimum, mansuetum, grandæuum & regij sanguinis; callidè nominauerunt cum Episcopo aliquos de suâ Societate, qui ex condicto onus Imperij suis viribus impar certatim abnuerent, asserentes, quòd debilitata Regni iura strenuum efflagitarent administratorem. Fridericus ergo sub forma aliorum humiliter onus recusauit. Vnde statim, arreptâ occasione, Lotharium elegerunt, vltrò se offerentem, videlicet etiam, quod promisisset plura quæ non persoluit. Ipso igitur celebriter electo, Principes tam Sacramentis, quam hominiis se ei astrinxerunt. Sed postea detectis dolis, Fridericus se regi opposuit. Moriens tamen Henricus V. mandauerat, vt insignia Imperij in castello firmissimo Hamerstein appellato asseruarentur, vsque ad comitia Principum, vt est in Chronico Abbatis Vrspergensis.

Cum Otho IV. Imperator viuendi finem fecisset Anno 1218. Regalia ad Henricum Brunsvvicensem, nescio quo casu vel fato deuenerunt. Qua de re apud Honorium Tertium Pontificem Maximum Fridericus Secundus conquestus, postulabat, vt Henricum ad insignia imperialia restituenda compelleret. Misit super hoc negotio Honorius Nuncium, Priorem scilicet *S. Mariæ Nouæ* in Vrbe, qui Henricum ad restitutionem induceret, vel etiam, si necessitas exigeret, Ecclesiasticis censuris compelleret. Commisit insuper Halberstatensi & Hildesheimensi Episcopis, vt nisi obtemperaret, à sacrorum communione semotum publicè pronunciarent, illiusq; ditionem Interdicto mul-

ctarent,

ctarent, vt ex *Regesto* Epistolarum Honorij refert Bzouius ad Annum Christi MCCXIX.

Statim à coronatione sua Otho IV. insignia Imperij Mediolanensibus asseruāda commiserat, *Vnde magnum fauorem à Mediolanensibus acquisiuit*, vt ait Abbas Vrspergensis in chronico.

Anno Redemptoris 1221. Fridericus Imperator offensus ab Italis, postquam Regalia suam in potestatem redegit, ea in Germaniam transtulit, *faciens custodiri sub potestate Eberhardi de Tanne Ministerialis & Dapiferi sui in VValdpurg.* Ita Chronicon Abbatis Vrspergensis. Vides hic nobilissimæ familię Truckseßiorum à Waldpurg antiquitatem simul & auctoritatem.

Defuncto Philippo Othonis IV. in Imperio acquirendo antagonista, *Henricus de Scharffenberg Spirensis Episcopus, qui fuerat Protonotarius in Curia Philippi, in potestate habebat in castro Triuels coronam & crucem, & insignia Regalia, quæ nec restituere voluit nisi fieret Cancellarius Imperialis Aulæ,* (Othonis scilicet) *quod & factum est, perdurauitq́; in eo officio vsque ad finem vitæ suæ.* vt tradit supradictum Vrspergensis Chronicon.

Lothario Imperatore ex hac vita euocato, Henricus Dux Saxonum & Boiorum, sacra insignia tenebat; Erat enim gener demortui Imperatoris Lotharij, *& ex hoc tenens Regalia, ad Regnum, quantum poterat, aspirabat,* vt inquit Andreas Ratisponensis in suo chronico. *Huic ad hæc reddenda in festo Apostolorum Petri & Pauli dies Ratisbonæ præfigitur; quo veniens Regalia, id est, Crucem, lanceam, & coronam reddidit.* Vide Othonem Frisingensem lib. 7. cap. 23. Et Chronicon de Gvvelphis Principibus.

Cum Ludouicus Bauarus Imperator obiisset, filius

eius Ludouicus, Marchio Brandeburgicus, Imperialia stemmata vi retinuit, neque ea, aliquot etiam annis interpositis, Carolo IV. iam electo Cæsari tradere voluit; tandem saniora consilia secutus tradidit. De quâ traditione Albertus Argentinensis in Chronico isthęc. *Marchio* (Ludouicus) *Lanceam, clauos, partem Crucis Christi, & alia insignia, quæ Imperij dicuntur, per Ludouicum Imperatorem patrem suum relicta, Regi* (Carolo IV.) *præsentauit, recepta cautione de reducendis infra triduum, vel in Nurimberg, vel in Franckfurt per Regem, quod non fuit impletum, sed ea Pragam perduxit, de quo Bohemia nimium gratulatur.*

Postea tamen Sigismundus Imperator Cimelia hæc ex Bohemia iam Hussitico veneno deprauata, Norimbergam, ceu ad sedem stabilem & immotam, transferenda curauit, cum approbatione Summi Pontificis Martini V. cuius super hac re Bullã reperi in manuscripto quodam Codice, quæ multa scitu & memoratu digna complectitur, quam suo loco recitabimus.

Asseruabãtur hæc clinodia Norimb. in templo D. Virginis, q; præcipuo Xenodochio intra Vrbem annexũ erat. Conradus Celtes in cõmentario de Norimberga. *Insignius Xenodochiũ, quod nouũ vocant, super amnis* (Pegnesi) *ripas, immẽsis opibus & structuris ad pauperum curam dotatũ & exstructum est. In cuius templo Sacrosanctæ Imperatorũ nostrorũ Reliquiæ seruantur, maximè de Saluatoris Cruce, & Lancea, & Caroli Magni insignibus, quibus Imperatores nostri hodie ad Aquas Graneas, hoc est, Apollineas, Cæsares declarantur. Has Sigismundus Cæsar in eo motu, quo Bohemia à Religione Romanâ defecerat, à Pragâ Bohemorum Metropoli Norimbergam traduxit.*

Hoc templum destinat quoque Martinus V. Reli-

quiis prædictis, & ornamentis Imperialibus asseruandis, vt ex diplomate Martini liquet.

De eodem templo Eobanus Hessus in descriptione Norimbergæ.

His etiam adiunctum templum vetus ædibus hæret,
Non tam mole suâ, aut vllâ memorabile causâ,
Quam quod Relliquias, quas diximus antè, receptas
Continet, & Romanorum Diademata Regum,
Queis sine nec fieri Cæsar, nec verus haberi
Augustus poterit, si non insignia sumat
Hinc sua. Cæsarea namque est hic illa Corona
Gloria, quâ Regni constat ius atque potestas
Maxima Romani, (namque hoc nunc more loquuntur)
Hæc quoties alicui defertur tanta potestas,
Hinc petitur, delata hac conditione refertur.
O Deus, O vrbis pulcherrima gloria nostræ,
Quæ sola hanc meruit, quæ nulli contigit vrbi
Gloria, perpetuis non interitura diebus.

CAPVT III.

Quid nomine Armorum Christi significetur.

Reliquiæ, quæ ad passionem Domini concurrerũt, vocantur *arma Christi*, vt est Crux, lancea, spongia, claui, ex quibus in Cimeliis Imperij aliqua reperiuntur, vt ex cap. 1. liquet. Appellantur quoque *instrumenta Dominica Passionis*. Et quidem Marcus Antonius Seno-

Senogalliensis, qui sub Innocentio VIII. Pontif. Max. floruit, librum scripsit, *de excellentia instrumentorum Dominicæ passionis*, qui Anno Salutis M. DC. VII. editus est Duaci. Instrumenta autem hæc numerat. *Vestes, funes, coronam, flagella, clauos, arundinem, spongiam, lanceam, linteum, & sepulchrum*; tametsi non disputat de omnibus istis Dominicæ passionis instrumentis, sed tantùm inter se comparat *vestimenta Christi*, & *lanceam*, quâ latus eius apertum est, vtrum illa huic, an hæc illis veneratione præstent; nam occasione lanceæ à Turcarum Imperatore Anconam, & inde Romam allatæ, quæstio exstitit, num maior honor vestimentis, an verò lanceæ deferendus esset; aliis pro lancea stantibus, Vigerius vestimentorum partes defendendas sumpsit.

Vocantur eadem instrumenta, vt antea dixi, *Arma Christi*, quia his Instrumentis, tanquam armis quibusdam, Redemptor noster diabolum & mortem debellauit. Neque in hoc nostro opusculo de omnibus istis instrumentis differemus, quia id in opere de S. Cruce abundè præstitimus; Sed de lanceâ præcipuè; quâ Sacrosanctum Christi latus, cum iam exanimis in Cruce penderet, apertum est, iuxta illud S. Ioannis; *Vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua*. Ioan. 19. Quam lanceam Deus ad posteritatis memoriam & consolationem superesse voluit. Tempore Bedæ inserta habebatur in cruce ligneâ in porticu Martyrij (Templi id nomen est Hierosolymis, à Constantino Magno exstructi,) *cuius hastile*, inquit Beda, *in duas intercisum partes à totâ colitur ciuitate*. Bedâ de loc. Sanctis cap. 2.

De eadem lanceâ Chronicon Alexandrinum sub Heraclio Imp. post captam à Persis Hierosolymam. *28. die Octobris, die Sabbati veneranda lancea è sacris Hiero-*

solymorum locis allata est Constantinopolim, quam quidam familiaris, detestandi illius Sarbaiæ; acceptam à Barbaris dedit Nicetæ Patricio. Et statim die Dominico in maximo & Sanctissimo templo proclamata est. Tertia & quarta feria à Viris adorata est; quinta & sexta à fœminis. Vbi non vnus obseruandus est mos; præsertim iste, quòd viris à fœminis dies separati ad cultum & venerationem præstituti fuerunt.

Hanc anno Christi MXCVIII. repererunt Christiani cruce signati Antiochiæ in templo Principis Apostolorum, non sine miraculo, vt narrat Tyrius; Fragmentum Historiæ Aquitanicæ, & alij. Postea circa annum Redemptoris MCCXLIII. Balduinus Imperator, partem Dominicæ Crucis, Spongiam, & lanceæ ferrum Venetis oppigneraunit, quæ deinceps S. Ludouicus Rex Francorum, potestate redimendi acceptâ, in Regio Sacello Lutetiæ reposuit, institutis ibi sacrorum ministris. Vide Guilelmum de Nangis.

Tyr. lib. 6. c. 12. *Vide tom. 3. de S. Cruce lib. 2. cap. 3.* *Guil. lib. de gestis S. Ludouici.*

Proditum insuper est, Baiazetem, Turcarum Imperatorem, lanceæ ferrum donasse Innocentio VIII. Pontif. Max. Anno Salutis MCCCCXCII. Anno Domini MDC. editus est Romæ, cum Pontificis Maximi approbatione & consensu, verus iconismus Dominicæ lanceæ, vel potius ferri lanceæ, & clauorum quibus Saluator noster Cruci affixus fuit, & denariorum, quibus venditus: adiuncto hoc ad Archiepiscopum Arelatensem Epistolio.

Onuph. in Vita Innocentij VIII.

Hoc ferrum lanceæ Anno 1491. Baiazethes Turcarum Imperator, quo Pontificem Innocentium, fratris captiui causa, sibi gratiorem redderet, pro magno munere misit, quod olim apud Aedem S. Andreæ Antiochiæ repertum, capta iam ciuitate, Boamundus in prælio corripiens, & cùm Arcem expugnare non

re non posset, prælatum, eam illico cepit, & hostium multa millia prodigiosè deleuit, id Constantinopolim dono Imperatori adductum, postremò Turca hoc anno 1491. Pontifici misit.

Sacrum hoc ferrum delatum fuit ad Basilicam Vaticanam in die Ascensionis Domini de mane, summo Pontifice cum vniuerso Clero & Senatu Populoq; Romano, honoris causa, extra portam Flaminiam prodeunte; quod à Cardinale S. Petri ad Vincula, ab eodem summo Pontifice vsque ad Narniam misso, flexis genibus eidem porrectum fuit, & ad Basilicam delatum.

Effigies præterea Claui D. N. IESV *Christi, nec non vnius ex denariis, quibus fuit venditus, desumpta est Romæ ex templo Sanctæ Crucis, vbi modo seruantur. Clauus, licet vnus sit, duplici facie apparet, denarius verò ex vna parte Solis, ex altera floris speciem insignitam ostendit.*

Additur insuper hæc precatiuncula.

Antiphona.

Popule meus quid feci tibi, aut in quo contristaui te? Responde mihi. Ego ante te aperui mare, & tu aperuisti latus meum. Ego te exaltaui magna virtute, & tu me clauis suspendisti in patibulo Crucis.

Vers. *Iudas mercator pessimus denariorum numero Christum Iudæis tradidit.*

Resp. *Sed ille vt agnus innocens non negauit Iudæ osculum.*

Oremus.

Omnipotens Domine IESV Christe, qui sanctissimas manus tuas, & pedes tuos pro nobis miseris pec-

catoribus in ligno Crucis clauis perforari ſuſtinuiſti, & melliſluum latus cordis tui lancea à milite aperiri paſſus fuiſti, & à Iuda proditore triginta argenteis in manus tuorum inimicorum te tradi permiſiſti. Da nobis quæſumus hodie, & quotidie vſum pœnitentiæ, patiẽtiæ, humilitatis, Caſtitatis, lumen ſenſuum, & puram conſcientiam vſque in finem, quatenus paſſionis tuæ Sacramenta ita peragamus, vt qui pro noſtris exceſſibus inceſſanter affligimur, per temporalem mortem, quam myſteria veneranda teſtantur, vitam te nobis dediſſe perpetuam confidamus, qui viuis & regnas cum Patre & Spiritu ſancto DEVS in ſecula ſeculorum. Amen.

Cum Lanceę ferrum ex Oriente Anconam delatũ eſſet, vt inde Romam ad Innocentium VIII. deportaretur, ſpectator quoq; adfuit Marcus Vigerius Cardinalis Senogallienſis, prout ipſe his verbis teſtatur initio Tractatus de Inſtrumentis Dominicæ paſſionis. *Cum ſanctum ferrum lanceæ, quo miles Saluatoris latus aperuit, Anconam eſſet allatum, Innocentio* VIII. *Pontif. Max. & ad illud excipiendum, omnes ferè Prouinciales Epiſcopi conueniſſemus, ac per ciuitatem ſolemni pompâ circumtuliſſemus, celebratâ, quantâ potuimus deuotione, rediuinâ, refectâque iam mente; corpora quoque cibo refecimus. Interea verò de paſſione Domini noſtri* IESV CHRISTI *colloquentes, incidimus in controuerſiam, Eſſet ne dignius ferrum Sanctum Lanceæ, quod exceperamus, veſtimentis Domini* IESV, *& præſertim tunicâ inconſutili, quam Turcarum Imperator ſibi retinuerat, ſanctum ferrum Romano Pontifici dono mittendo?*

Occaſione huius litis ſcripſit Cardinalis Vigerius ſupra dictum Tractatum, vt iam antea monuimus.

CA-

CAPVT IV.

Festum armorum Christi, lanceæ præsertim, & clauorum, ab Innocentio VI. Pontifice institutum, non sine Indulgentiis, rogatu Caroli IV. Imperatoris.

FEria VI. post octauam paschæ, celebratur festum lanceæ & clauorum, institutum, vt ait Molanus, ad Vsuardum, Anno 1353. ab Innocentio VI. petente Carolo IV. Imperatore. Chronicon Belgicum. *Eodem anno MCCCL. Carolus Imperator de Nurenberg in suā ciuitatem Pragensem transtulit lanceam, quā latus Domini nostri* IESV *Christi fuit apertum & transfixum, simul & dextrum brachium Sanctæ Crucis cum clauo Domini; Mensale,* (ita enim legendum) *Christi, quod habuit in vltimâ cœnâ, gladium Caroli Magni, quem recepit ab Angelo, nec non alias plurimas Reliquias. Qui Carolus etiam à Rege Franciæ obtinuit spinam vnam de coronâ Domini. Vnde promeruit à Papâ Innocentio VI. festum fieri, per totum regnū Alamanniæ de corona* (imò de lancea) *& clauis Domini, quod celebratur feria sexta post octauā Paschæ, cum proprio cantu & officio diuino.* Reperitur Officium hoc in variis Germanicarum Ecclesiarū Breuiariis & Missalibus. Idem reperi in manuscripto quodam codice, vna cum Diplomate Innocentij VI. quo festum hoc indicit. Sed admodum deprauatè à librario scriptū erat, vt alicubi vix sensus elici posset. Integrum exemplar postea nactus sum, quod appono.

Inno-

INnocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei Venerabilibus Fratribus Vniuersis Archiepiscopis & Episcopis per Alamaniam & Bohemiam constitutis, salutem & Apostolicam benedictionem. In Redemptoris nostri Domini Iesu Christi per quē saluati & liberati sumus, sacratissima passione sic nos gloriari oportet, vt ipsius passionis cuncta mysteria dinumerantes & imitantes, in singulis etiam eius salutaribus instrumentis & fructibus gloriemur. Inter quæ illud celebriter memorandum est, quod ipse Saluator, emisso in cruce iam spiritu, sustinuit perforari lancea latus suum, vt inde sanguinis & aquæ profluentibus vndis formaretur vnica & immaculata, ac virgo sancta mater Ecclesia sponsa sua. O beatissima ipsius sacri lateris apertura, vnde nobis tot & tanta diuinæ pietatis dona fluxerunt, hinc siquidem nostræ redemptionis pretium, hinc ablutionis & regenerationis lauacrum; hinc ipsius Ecclesiæ sacramenta suscepimus. O felix lancea, quæ tot bona nobis efficere & ad tanti triumphi gloriam meruit superaddi; hæc

lancea

lancea latus ipsum aperiendo sanctissimum, ianuas nobis regni cœlestis aperuit; hæc vulnerādo iam mortuum, vulnera nostra sanauit; vitamq; nobis reddidit & salutē. Hæc innoxium transfigendo, illius sanguine culpas nostras absterſit, & demum eisdem vndis sacratissimis irrigauit, cæcitatis nostræ tenebras sustulit, & nos ipsius diuinæ pietatis fluuiis inundauit. illiq; etiam dulces claui, cum quibus ipse Saluator eidem cruci fuit affixus, quique non solum eius immaculato respergi sanguine, & molem ferre tanti ponderis meruerunt; sed & nos etiam per ipsorum salutiferas plagas dulcedinem tantam ipsius diuinæ Charitatis accepimus, vt manus nostræ à peccati solutę nexibus, pedesque nostri à mortis laqueo fuerint liberati, sunt deuotissimè recolendi. Quid enim vulnere & plagis huiusmodi sanctius, quid eis salubrius, ex quib. salus nostra processit? & in quibus assiduè securare possunt animæ deuotorum?

Licet ergo lancea & claui prædicti, aliaque ipsius passionis salutifera instrumenta, sint à Christi fidelibus vbilibet veneranda: &

de ipsa etiam passione, in eadem Ecclesia, sollennia annis singulis officia celebrentur & fiant, dignum tamen & conueniens reputamus, si de ipsius passionis specialibus instrumentis, & præsertim in partibus, in quibus instrumenta ipsa dicuntur haberi, solenne ac speciale festum celebretur ac fiat, nosque illos Christi fideles, qui aliqua ex instrumentis ipsis habere se gaudent, in eorum deuotione diuinis officiis atque muneribus spiritualiter foueamus.

Sane pro parte Carissimi in Christo filij nostri *Caroli* Romanorum & Bohemiæ Regis illustris, nobis nuper exposito, quod ipse inter sacras Reliquias, quæ *Imperiales* vulgariter nuncupantur, quæque tanquam preciosissimus Imperij Romani thesaurus consueuerunt per Romanum Regem seu Imperatorem, qui est pro tempore, conseruari ac feruentissimè honorari, habet in sua custodia prædictam lanceam sacratissimam, nec non vnum ex clauis prædictis, prout prędecessores sui claræ memoriæ Catholici Romanorum Reges seu Imperatores etiam habue-

buerunt, & quod ad ipsas Reliquias, habetur in illis partib. magna deuotio & concursus etiam populorum, & per eundem Regem velut Catholicum principem, zelo deuotionis accensum, nobis humiliter supplicato, vt de ipsis lancea & clauis, tam pro eorum veneratione maiori, quàm pro Romani Imperij fauore & honore præcipuè festum in Alamaniæ & Bohemiæ partibus perpetuò celebrari statuere ac præcipere dignaremur.

Nos itaque cupientes, quod ipsi lancea atque claui prædicti in partibus maximè in quibus habentur & conseruantur, tanto ab ipsis Christi fidelibus deuotius venerarētur, quanto pro ipsis celebriorem Altissimo cultum viderint exhiberi, deuotis quoque eiusdem Regis supplicationibus inclinati, Apostolica auctoritate statuendum duximus, & etiam ordinandum, quod ad ipsius Saluatoris nostri laudem & gloriam, de præmissis lancea & clauis, & sub eorum vocabulo proprium festum cum speciali officio, per aliquos præclaros Catholicos, & alios diuinæ paginæ peritos, quos idem Rex ad hoc eligē-

dos ducet, ordinando, sexta feria post Octauas Resurrectionis Dominicæ, Annis singulis à Christi fidelibus in eisdem Alamaniæ & Bohemiæ partibus perpetuò solenniter celebretur; & vt fideles Christi ad venerationem ipsorum lanceæ, & clauorum feruentius animentur, atq; ad Ecclesiam vel Capellam in qua fuerint, & ad celebrationem festi & officij prædictorum, libentius confluant, quò ibidē vberius dono cœlestis gratiæ conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, eius auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui in die festi huiusmodì ipsam Ecclesiam vel Capellā, in qua tunc lancea & clauus ipsi fuerint, vt pręfertur, deuotè visitauerint, annuatim, tres annos & tres quadragenas, singulis videlicet ipsius Festi diebus, quibus Ecclesiam ipsam vel Capellam visitauerint; eis verò, qui eadem die in missa & singulis horis canonicis, vbicunq; in pręsentia dicti Regis & successorum suorum Catholicorum Romanorum Regum seu Imperatorum, qui pro tempore fuerint,

fuerint, diuinis intererunt, tã in missa quàm in singulis horis eisdem, centũ dies in qualibet videlicet missa & singulis horis eisdem, quibus in præsentia Regis, vel successorum suorum prædictorum, diuinis ipsis intererunt vt præfertur, de iniunctis eis pœnitentiis duximus misericorditer relaxandos.

Quocirca vniuersitatem vestram monemus & hortamur in domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus singuli vestrum præmissa, cum ad notitiam vestram peruenerint, in singulis vestris ciuitatibus & diœcesibus, per vos vel alios, vbi & quando vobis expedire videbitur, solenniter publicare curetis: dictumq; festum præfata die, annis singulis, vt præmittitur, celebretis, & faciatis ab aliis celebrari. Datum Auenione. Id. Febr. Pontificatus nostri anno secundo.

Hactenus Bulla Innocentij VI. qui Pontificatum iniit Anno salutis 1352. tenuitque annis IX. Mensibus VIII. diebus XXVI. vides igitur, cuius rogatu Festum *Armorum* Christi fuerit institutum, nempe Caroli IV. Imperatoris, & qua occasione, nimirum pro-

pter Reliquias Imperiales, hoc est, illas, quæ in Thesauris Imperij à Regibus & Imperatoribus Romanorũ asseruabantur, inter quas erat lancea seu ferrum lanceæ, qua latus Domini in Cruce pendentis apertum est; & clauus, quo sacrum eius corpus transfixum; præcipuè tamen hoc Festum à Pontifice indictum & stabilitum est propter lanceam & clauos; Quapropter in Officio huius festi, mentio potissimum fit lanceæ & clauorum, eorumque laudes & encomia decantantur. Vbi obiter obserua, sapientiam Conradi Deckeri Caluinistæ lib. 1. de Staurolatria Romana cap. 1. dicentis Innocentium VI. instituisse Festum in honorem Crucis Anno salutis 1460. cum centum propemodum annis prius Innocentius VI. vixerit & obierit.

Celebrauit hoc Festum Carolus IV. Imperator Norimbergæ Anno MCCCLXI. cum filius eius Wenceslaus ibidem in Parochia S. Sebaldi frequentissimo Principum conuentu baptizaretur. Quæ solennitas vt celebrior redderetur, *insignia Imperialia Imperator iubet deduci de Bohemia*, inquit Henricus Rebdorffensis, *solenni apparatu, & ostendit ibidem. Et existentibus ibidem denunciantur magna Indulgentia, quas Innocentius VI. Papa tunc gratiosè concessit, videlicet easdem Indulgentias, quas in Vrbe Romani Pontifices in die cœna Domini concedere consueuerunt*. Hæc Henricus Rebdorffensis, qui dicit, se huic solẽnitati interfuisse, & vidisse signa Imperialia, ac Reliquias, quæ tunc vniuerso populo monstrabantur.

Citat Bzouius ad Annum Domini MCCCLIX. alias Innocentij VI. Pontificis literas, quibus ait in gratiam Caroli Imperatoris concessas esse nonnullas.

s Indulgentias, *Omnibus, qui præsentes adessent, in o-torio Castri Caroloſteinij, quando ſacra Reliquia, videli-t nonnullæ partes Sanctæ Crucis, vnus ex clauis, ſpongia, duæ ſpinæ de corona Saluatoris, nec non aliqua pignora Ioannis Baptiſtæ, cum aliis Lipſanis Sanctorum in Cruce ·rea, gemmis & lapidibus pretioſis ornata incluſis, ad vene-tionem exponebantur.* Vtinam Bzouius Bullam unc Innocentij lectoribus verbatim repræſentaſ-ſet, qui tot alioqui Pontificum diplomata integra ·ſcribit. Nec dicere habeo, quid ſibi velit Nau-erus cum Generatione XLVI. Anno 1359. ita ribit. *Hic Papa* (Innocentius Sextus) *compoſuit ſtoriam de clauis & lancea Chriſti ad petitionem Regis manorum Caroli, & magnam Indulgentiam dedit cele-antibus & peragentibus* (Feſtum hoc) *in Bohemia.* ortè Bulla Innocentij paulò ante recitata, Nauclero *Hiſtoria de clauis & lancea Chriſti.*

Quia verò iam Bullam Innocentij VI. audiui-us, audiamus itidem Conſtitutionem Martini V. a, quæ Innocentius ſanxerat, rata habet, Et in-ſuper Reliquiis Imperialibus pro ſede perpetua inclytam Norimbergam aſſignat, id-que Sigiſmundi Imperatoris rogatu.

CA-

CAPVT V.

Bulla Martini V. Pontificis Max. de translatione insignium Imperialium ex Bohemia Norimbergam per Sigismundum Imperatorem. Confirmatur quoq; Festum lanceæ cum nouis Indulgentiis.

AD perpetuam rei memoriã. Quemadmodum magnis debemus laudibus, magnisque commendare præconiis, ea magnorum principum vota quæ in diuini nominis amorem feruntur, & opere postmodum sequẽte certum deducuntur in actum, ita quoq; operæ pretium est præclaris atque salutaribus illorum deuotionis & fidei gratulari operibus, quibus præsertim Dei lætificare student Ecclesiam, & saluti tranquillitatique subditorum sibi laudabiliter prospicere populorum. Ex deuota siquidem charissimi in Christo filij nostri Sigismundi Romanorum & Vngariæ Regis illustris insinuatione, nobis nuper innotuit, quod cum magna pars viuificæ crucis, in qua Saluator noster

ster Iesus Christus, pro generis humani salute, pendere voluit, lancea quoque qua latus eius miles aperuit, clauus vnus, quo manus ipsius eidem cruci affixa extitit, particula præsepis, in quo Saluator ipse natus, positus fuerat, Brachium Sanctæ Annæ, & particulæ quædam catenarum sanctorum Petri & Pauli, atque Ioannis Apostolorum. Tunica sancti Ioannis Euangelistæ; Dens vnus beati Ioannis Baptistæ, Gladius sancti Mauritij, necnon gladius magnifici Caroli Imperatoris, ei Angelica, vt dicitur, manu porrectus, Corona quoque, nec non sceptrum & pomum, ac singula indumenta Imperialia eiusdem magnifici Caroli, intra Regnum Bohemiæ consisterent; Rex ipse considerans effeatam nimium plurimorum etiam potentium, dicti Regni, nunc à veritate Catholicæ fidei, proh dolor, deuiantium, in sancta * insitam plerumque ibidem debachari; recensensque attentius, quòd cum nonnunquam anteactis temporibus, Reliquias & Insignia ipsa per nonnullos contra Imperiale beneplacitum detineri cõtigisset, magnæ pro illorum

* Loc. mend. f. insaniam.

E recu-

recuperatione miserabilesque strages, & sanguinis effusiones secutæ fuerant: volensque tanquam Princeps prudentissimus, in posterum particularia præcaueri, ac de idoneo ad perpetuam Reliquiarum, & insigniorum prædictorum custodiam habendo loco solicitus, eius in animo cunctis Imperialibus ciuitatibus & locis Alamaniæ, & prosperitati, multoque ad illos directè reflexu, tandem considerans, quòd Imperialis, vt eius verbis vtamur, Ciuitas Nurenbergensis, Bambergensis Diœcesis, præ cæteris illarum partium Imperialibus Ciuitatibus, oppidis atque locis potens, insignis & famosa, Ecclesiastico decore conspicua, Christianæ fidei deuotissimis etiam vtriusque sexus Zelatoribus prępollens, in regendæ rei publicæ politia singulari prudentia iuris ornata, ac Domino ipsi Regi ex omni parte commodior existeret, Reliquias & Insignia ipsa ad ciuitatem eandem cum debita veneratione transferens, ea ibidem ad Dei laudem & sacri decorem Imperij reponenda prouidit, atque decreuit perpetuò conseruanda. Quare pro parte di-

Locus corruptꝰ ex emendatiore exemplari corrigendus.

cti Regis nobis fuit humiliter supplicatum, vt translationem & repositionem huiusmodi gratas habere, nec nō super eo, quod de cætero Reliquiæ & Insignia ipsa ad eandem ciuitatem non valeant, prouidere de benignitate Apostolica dignaremur.

Loc. mend. fort. ab eadē ciuitate non valeant auferri.

Nos igitur tam pium tamque laudabile, Regis opus in hac parte plurimum commendantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, translationem & repositionem præmissas, ratas & gratas habentes, & auctoritate Apostolica confirmamus, & etiam approbamus, statuentes nihilominus irrefragabiliter, & etiam ordinantes quòd amodò Reliquiæ & Insignia ipsa in eadem ciuitate perpetuò venerabiliter conseruentur: ita, quòd omnimodæ personæ, seu communitati vel congregationi aut potestati cuilibet, Reliquias & insignia ipsa extra dictam ciuitatem, nisi forsitan, quod Deus auertat, contingeret populum illius à fide deuiare Catholica, nequaquam liceat exportare vel extrahere, aut alias alienare quoquo-

modo. Quod si fortè, quod absit, à quoquam quauis occasione præsumptum vel quomodolibet attentatum extiterit, præsumptores & attentatores huiusmodi cuiuscunque dignitatis, status, aut conditionis existant, etiamsi Patriarchali, regali, aut alia quauis Ecclesiastica vel mũdana præfulgeant dignitate, excommunicationis sententiam incurrant ipso facto, à qua non possint, nisi prius Reliquiis & Insigniis ipsis eidem ciuitati restitutis, præterquam in mortis articulo constituti, absolutionis beneficium obtinere.

Sanè vt tam pretiosa tamque veneranda Insignia, pro suæ exigentia dignitatis, in hoc ad hoc congruo loco debita cum veneratione seruentur, & seruata lætificent ad illorum spectamen confluentes, volumus ac etiam ordinamus, quòd Reliquię & Insignia ipsa in Ecclesia Sancti Spiritus noui Hospitalis, dictæ ciuitatis venerabiliter collocentur, & etiam conseruentur; quodque nihilominus liceat dilectis filiis Magistro ciuium, & consulibus dictæ ciuitatis, præsentibus & futuris,

turis,

turis, vnum ſingulis annis; in medio circuli eiuſdem ciuitatis, vel alio ad hoc intra eam conuenientiore loco, tabernaculum erigere, in quo Reliquiæ & Inſignia ipſa populo oſtendantur, & in eo etiam, ſi tunc locus ille generali eſſet interdicto, etiam Apoſtolica auctoritate promulgato ſuppoſitus, horas canonicas à primis veſperis, vſque ad ſecundas veſperas die dictæ monſtrationis incluſiuè, nec non Miſſam etiam alta voce decantare liceat: ſtatuentes præterea, vt oſtenſio ipſa Feria ſexta poſt Octauas feſtiuitatis Dominicæ Reſurrectionis, annis ſingulis fiat, quemadmodum eſt hactenus fieri conſuetum; ita tamen, quòd ſi forſan alia die Reliquiæ ipſæ quauis de cauſa fuerint oſtendēdę, hoc non in tabernaculo, ſed in Eccleſia, in qua fuerint repoſitæ, fieri liceat, Et extraordinariis oſtenſionibus huiuſmodi, debita exhibeatur veneratio, & condigna reuerentia obſeruetur.

Porrò vt ob Reliquiarum prædictarum venerationem confluentibus ſpiritualium

non desint munera gratiarum, Nos cupientes oẽs illos, qui ad hoc deuotè confluxerint, spiritualium refouere munerib. gratiarum, omnes indulgentias & peccatorum remissiones, per Romanos Pontifices, prædecessores nostros, interessentibus ostensioni Reliquiarum huiusmodi, aut in Missa, aut singulis horis canonicis solenniter de *Armis Christi* in illis partibus institutis; in prouincia Romanorum Regis, pro tempore existentis, seu aliàs quomodolibet hactenus concessas, auctoritate prædicta, ex certa scientia, innouamus, & etiam confirmamus, ac quo ad illos, qui annuæ ostensioni, ac Missæ, & horis Canonicis huiusmodi, in dicta ciuitate, etiam absente dicto Rege, interfuerint verè pœnitentes & confessi; extendimus ac eis prorsus cedere volumus per præsentes. Et insuper Dei Omnipotentis misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, prædictorum auctoritate confisi, omnibus verè pœnitentibus & confessis, qui annuæ ostensioni Reliquiarum huiusmodi, deuoti

inter-

interfuerint, ſeptem annos & totidem quadragenas, illis verò qui in Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Paraſceues, ac Exaltationis ſanctæ Crucis, & Natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum & ſancti Ioannis Euangeliſtæ; ac Sanctorum Annę & Mauritij prędictorũ, nec non oſtenſionis Reliquiarum huiuſmodi, & dedicationis Eccleſiæ ſeu Capellæ, in qua Reliquias ipſas conſeruari continget, feſtiuitatibus, Eccleſiam ſeu Capellam huiuſmodi deuotè viſitauerint, ſingulis diebus, videlicet feſtiuitatum prædictarum, tres annos, & totidem quadragenas de iniunctis eis pœnitentiis, miſericorditer relaxamus.

Cæterum, vt Chriſti fidelium ad præmiſſa confluentium, facilius valeat animarum prouideri ſaluti, dilectis filiis Clero dictæ ciuitatis, presbyteros idoneos ſeculares ſiue religioſos, ex ſeipſis vel aliis, ſub competente numero, iuxta confluentium multitudinem moderando, annis ſingulis eligendi & deputãdi, qui ab huiuſmodi primis ve-

ſperis

ſperis vſque ad ſecundas veſperas, die annuæ oſtenſionis dictarum Reliquiarum incluſiuè, quorumuis eis confiteri volentium confeſſiones audire, & pro commiſſis, dum tamen talia non fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica ſit meritò conſulenda, ſalutares illis pœnitentias iniungere, etiam Apoſtolica auctoritate valeant, plenam & liberam tenore præſentium concedimus poteſtatem. Volentes etiam, quòd indulgentiæ per nos, vt præfertur, tam confirmatæ, quàm conceſſæ, tractu temporis non exſpirent. Nulli ergo, &c. noſtræ confirmationis, adprobationis, ſtatuti, ordinationis, innouationis, extenſionis, relaxationis, conceſſionis & volũtatis infringere, &c. Siquis, &c. Datum Romæ apud ſanctos Apoſtolos. * Secundo Kalen. Ianuarij Anno octauo.

* *pridie.*

Hactenus Bulla Martini V.

Quæ reuera inſignis eſt, totiquе rei, de qua agimus, plurimum lucis adfert, vtinam ex correctiore exemplari apographum eius ſumere licuiſſet. Attulit porrò Sigiſmundus Reliquias & Imperialia ornamenta Praga Norimbergã Anno Redemptoris MCCCCXXIV. die

die XXI. Martij, Festo S. Benedicti, vbi ingenti populi reuerentia & veneratione excepta, & in Ecclesia noui Hospitalis reposita sunt, & quotannis publicè ostensa, donec centesimo anno pòst, hoc est, MDXXIV. Lutheranismo iam inualescête plebis deuotioni vltimò ad spectaculum proposita sunt: nam postea, vt alia, ita & hoc sacrum institutum desiit. vt in quibusdã Manuscriptis Chronicis Norimbergensibus annotatum reperi.

Videtur autem transferendi insignia Imperij in Vrbem Noricorum causam potissimam Sigismundo Imperatori dedisse obsidio Arcis Carolsteiniæ paulò ante ab Hussitis instituta, de qua lib. 10. cap. vlt. Vandaliæ Krantzius. *Obsederunt hæretici magnis apparatibus Arcem Regni præcipuam Karlstein.* Sed frustra; pulsis ab obsidione sectariis. *Ita* arx præcipua, inquit Krantzius, *quæ multa seruabat pretiosa Regni Romani insignia, (quæ illuc Carolus IV. inuexerat,) de manibus perfidorum eripitur.*

CAPVT VI.

Concursus populi Norimbergam ad annuam ostensionem Reliquiarum & insignium Imperialium.

CHronicon, quod Norimbergæ impressum est Anno 1493. hæc habet. *Gaudet hæc insignis Vrbs signis Imperialibus: pallium enim, enses, sceptrum, poma, coronamque Caroli Magni Norimbergenses, in eorum archiuis asseruãt, quæ in coronatione noui Regis ob sanctitatem & antiquitatẽ auctoritatem præstant; ornaturãq; quàm maximè impretiabili*

ac diuinissima lancea, quæ IESV *Christi latus in cruce aperuit, ac particula Crucis famosissima; & aliis Reliquiis toto orbe celebrãdis. Quæ die tredecima post Pascha gaudia, populi frequentia ex variis prouinciis summa deuotione quotannis visuntur.*

Conradus Celtes in descriptione Norimbergæ, cum sacras Reliquias Vrbis illius enumerasset, subiungit; tametsi stylo rebus sacris non satis idoneo. *Quas nunc quotannis exactis duobus & decem post Pascha diebus, in publico foro maxima veneratione & cultu ostendunt, tabernaculo miro apparatu in foro constructo, in quo Sacerdos vocalissimus, adstantibus Druydibus* (cur non Dryadibus? Quam vasto ore ampullatur Celtes.) *Sabino more precinctis, & diuinis exuuiis onustis vulgò proclamat, magna circumiacentium regionum frequentia, & ex omni Germania adhunc diem populo, velut diluuio quodam inundante: ob id armatis & cataphractis, in speciem prælij, pedem tabernaculi, forumq́ ipsum, & portas Vrbis cingentibus, ne per insidias Vrbi, sacro spectaculo vacanti, trepidatio aliqua suboriatur.*

Eobanus Hessus in diagraphe Vrbis Norimbergensis, cap. 18. vbi Templum D. Virginis in Foro describit.

At parte ex alia Templum adiacet, hoc opus ipsi
Non vulgare foro decus, ædificauit honori
Matris Christiparæ, quæ quartus nomina huius
Carolus Augustus Romani insignia gessit
Imperij, donisq́ volens regalibus auxit
Templum à se positum, foribusq́ insigne superbis,
Quæ fora prospiciunt, auroq́ & imagine multa
Vestibulum adiecit, cuius suprema theatri
Pars speciem præfert, & si res postulet vsum,
Namque ex hac (velut arce) hominum conuentibus amplis
Relliquiæ monstrabantur, &c.

Relli-

Relliquia fuerant, qua nunc quoque nota supersunt,
Carole Magne tua, & nostrorum insignia Regum,
De Cruce saluifica, & qua Christi exsangue perempti
Transiit hasta latus; non aspernanda profectò
Munera, sed veneranda etiam, si sola vetustas
Commendat meritorum haud immemor, aut malè grata, &c.

scilicet Lutherani, in quorum castris militabat quoque Eobanus, sanctæ Crucis particulas, & alias Reliquias valde venerantur. Multò adhuc *valdius* Caluiniani, & aliorum nominum, errorumque sectarij. Hanc venerationem cernimus oculis nostris, in omnibus illis locis, quæ Hæresis inuasit & occupauit.

Obserua autem, quando Imperatoris defuncti exequiæ Norimbergæ, in *Nouo hospitali* celebrantur; tum sacras Reliquias, vt lanceam, crucem, & alias, altari, in quo Missa fiebat, indumenta verò Regalia Caroli Magni, coronam, sceptrum, gladium, & plura huius generis decora; feretro fuisse imposita; quod factũ est, cum Anno 1438. iusta persoluerentur Sigismundo Imperatori, & postea, cum anno Domini 1439. 29. Nouembris Alberto Imperatori parentaretur. vt in quibusdam Manuscriptis Chronicis Norimbergensibus legi.

CAPVT VII.

Officium diuinum in festo Armorum Christi decantari solitum.

MAndat Innocentius Pontifex in sua Bulla, vt Carolus Imp. per viros doctos & Catholicos Offi-

cium conficiendum curet, quod in Ecclesiis publicè ad laudem & honorem *Armorum Christi* recitetur & concinatur. Præstitum id est, cura & studio Imperatoris. Darem hic integrum, nisi passim in Ritualibus libris obuium esset, tametsi nō omnino inter se concordant. Adscribam tamen hymnos ad singulas horas, quia licet numeris & verbis elegantes non sint, elegantes tamen sunt sensu & sententia, cuius potiorem rationem ducit pietas, quàm numerorum & verborum. Videntur autem cusi ad imitationem eorum, quos S. Thomas pro *officio Corporis Christi* composuit, id quiuis facilè deprehendet, qui conferre voluerit.

HYMNVS IN PRIMIS Vesperis.

Pange lingua gloriosæ lanceæ præconium, per quam nobis copiosè sacrum fluxit lauacrum: passo Christo dolorosè pro salute gentium.

Hasta nitet margaritis nimis coruscantibus, mucro gemmis infinitis sanguine vernantibus: muniamur armis istis cœlis exclamantibus.

Dulcis hasta latus Dei te repleuit sanguine, dulcis mucro per cor Dei voluitur in flumine, sic saluantur omnes rei, tuto Dei munere. Ar-

Armat hasta viatores, ne frangantur
tadio, mucro lauat peccatores, in feruenti flu-
uio, roborantur bellatores, ne ruant in prælio.

Imperator splendor Patris cum clauis &
lancea mundum purget à peccatis, pro sua cle-
mentia: salue tantæ pietatis infinita gratia.

Gloria & honor Deo in paschali gaudio,
laus æterna sit pro eo, quod gessit in Filio: fi-
xa sit in corde meo, crux cum suo Domino,
Amen.

Hymnus ad Completorium.

Æterna Christi munera nos satient perenni-
ter, eius clauorum vulnera, inebrient nos
iugiter.

IESV nostra redemptio, pro tuis armis belli-
cis, te nostra laudat concio, psalmis, hym-
nis & canticis.

Tu Christe nostrum gaudium, de lanceato la-
tere, da roris mellicidium, ardenti corde
sugere.

Sit Christo iubilatio, laus, gratiarum actio,
armorum veneratio, sit nostra defensa-
tio, Amen.

Hymnus ad Matutinum.

Paschali iubilo iuncta sint gaudia, & cum præconio noua solennia, in hoc tripudio sint in memoria, crux, & claui & lancea.

Crux apud inferos spoliat tartara, Crux apud superos Sanctis dat præmium, & super Angelos transmittit Dominum, gaudent regna cœlestia.

Clauus dum figitur in Dei manibus, & dum confoditur in sacris pedibus corpus, sic frãgitur, quod pro hominibus, magna fundũtur flumina.

Lancea sauiens in Dei corpore, & inde proferens aquam cum sanguine, mundum sanctificat tam sancto flumine, omnes ad aquas currite.

Te summa Deitas Virgo magnificat, cœlum cum Angelis laudibus intonat, miranda genitrix, pro his te glorificat, in sempiterna secula, Amen.

Hymnus ad laudes.

'erbum supernum prodiens saluare quod perierat, clauis cruce se muniens, compleuit, ad quod venerat.

' gloriosa lancea, timor & tremor dæmonum, Regna pandis siderea, per vitæ sanctæ meritum.

)e clauorum stigmatibus emanat mundi pretium, præ cunctis aromatibus, fragrat odorem cœlicum.

ı corde Christi mergitur mucro sole splendidior, fons viuus tunc exoritur, omni dulcore dulcior.

ı sole frangit phialam furoris iracundiæ, dum miles figit lanceam, in corde regis gloria.

)uæsumus auctor omnium in hoc Paschali gaudio, per clauorum suffragium floret nostra deuotio.

jloria tibi Domine, qui surrexisti à mortuis, redemptos tuo sanguine sertis ornas perpetuis.

Hymnus ad Primam.

Jam lucis orto ſidere, dignare nos inuiſere, armis tua potentia, magne Deus clementia.

Chriſte Redemptor omnium, da ſpiritale gaudium, de armis tuis hodie, ſplendor æternæ gloriæ.

*Claui Sanctarum manuum, ad opus ducant ſtrenuum, reſoluant noxam populi, I*ESV *redemptor ſeculi.*

Sacris infixus pedibus clauus, à noſtris cordibus, extripet omne vitium, Rex Chriſte factor omnium.

Fons lanceati lateris, emundet ſordes ſceleris, & irriget nos intimè, æterne Rex altiſſime.

Tuis ſacris vulneribus, & armis ſalutaribus, confer Chriſte in patria, beata nobis gaudia.

Sit Chriſto iubilatio, laus, gratiarum actio, armorum veneratio, ſit nobis defenſatio. Amen.

Ad

Ad Tertiam repetuntur duæ primæ strophæ ex hymno ad primas Vesperas.

Ad Sextam canitur tertia & quarta stropha eiusdem hymni.

Nonæ deniq; seruit vltima stropha cum doxologia.

Hymnus in secundis Vesperis.

Christus ascendens choros Angelorum, Pontifex factus, Rex vniuersorum, clauis affixus, hasta vulneratus, pertulit crucem.

Hastam vibrauit tunc miles in altum: ad Dei verbum clauus cruentatum latus intrauit, & conpenetrauit filio Dei.

Sanguis & aqua simul effluxerunt, vnda cruoris nos inflammauerunt: fontes aquarum cælos turbauerunt, supra naturam.

Hasta nos armat, vt non succumbamus, clauus nos firmat, & sic triumphamus, sanguis accendit, vt sic ardeamus igne diuino.

Præstet hoc nobis gratia diuina, conditor orbis, siderum regina, lanceam cuius Angeli mirantur semper in cælis, Amen.

Sequentia de Lancea Dominica. Ex Missali Eystettensi.

Hodierna festum Lucis, & solenne vitæ ducis: pro victrici lanceâ.

Decantemus laudes ei: quem transfixit vice rei, hac salutis framea.

Omnis vtriusque sexus: te stringebat culpæ nexus: & mortis angustia.

Psalle illi, qui resoluit: culpæ pœnam pro te soluit: vitæ dans remedia.

Aue ferrum triumphale: intrans pectus tu vitale: Cæli pandis ostia.

Fœcundata tu cruore: felix hasta nos amore: per te fixi saucia.

Florens cruor, quem fuderunt artus Christi: quos foderunt clauorum fixoria.

Fusa per te ac rigata: & per clauos solidata, nostra sint præcordia.

Placa Patrem maiestatis: vt in æuum cum beatis: Nos coronet gloria.

Et quia Festum *Armorum* Christi crucē quoq; Christi complectitur, adiungamus Encomiis in lanceam Dominicam hoc itidem in sanctam Crucem.

Se-

Sequentia de S. Cruce. Ex Missali Eystettensi.

Dulce lignum adoremus: dulces clauos veneremur: Verbum Patris prædicemus, solenni præconio.

Crucem Christi honoremus: crucifixum deprecemur: vt ab hoste liberemur: crucis patrocinio.

Aue lignum pretiosum: pondus ferens gloriosum: quondam eras onerosum, mortis improperium.

Aue lignum quod fuisti dignum ferre corpus Christi: mundo lapso contulisti: vitam & imperium.

Christus in te triumphauit: mortem morte superauit: & potēter spoliauit: Acherontis atria.

Sic per viam atque ducem: habeamus Christi crucem: vt videre veram lucem, possimus in patria.

Amen dicat mente totâ: plebs cruore Christi lota: vt sit semper absque notâ: Amen dicant omnia.

Multa blaterant & nugantur Sectarij contra phrases quasdam & loquendi Formulas, quæ in his rhythmis vsurpantur, easque impietatis, imò & Idololatriæ, postulant. Sed hanc istorum vanitatem ac inscitiam redarguimus iam cum alibi, tum Tom. 1. de S. Cruce cap. 61. vt in præsentia nihil sit addendum.

CAPVT VIII.

Quænam lancea asseruetur, vel asseruata fuerit inter Imperij sacra lipsana.

QVatuor sunt lanceæ, de quibus controuersia esse potest. Prima, lancea Dominica, qua Christi in Cruce pendentis latus transfixum est. Altera, Constantini Magni. Tertia, S. Mauritij, Quarta, Caroli Magni. Quas omnes inter Clenodia seu Cimelia Imperialia fuisse aio, tametsi libellus Germanicus nullam de lancea Constantini mentionem faciat, vt nec de Lanceis Caroli Magni & S. Mauritij, quas fortè sub nomine gladiorum comprehendit.

Hastam Dominicam fuisse inter Regalia lipsana Imperij testatur communis omnium sensus & persuasio, qui lanceam hanc Norimbergæ cum cæteris Imperij insignibus asseruatam, & quotannis ad venerationem publicè propositam fuisse credunt, magisq; prius crediderunt, quàm Lutherus Norimbergam occuparet.

Secundò idem docent duo ex summis Pontificibus Innocentius VI. & Martinus V. in suis Bullis, quarum apogra-

apographa antea dedimus. Vterque expreſsè reputat Lanceam Norimbergenſem pro illa, quæ ex latere Chriſti ſanguinem & aquam elicuit.

Tertiò, idem ſuadet Officium de *Armis Paſſionis Dominicæ*, quod compoſitum eſt occaſione lanceæ, inter Imperialia inſignia exſtantis, vt planum fit ex Bullis Innocentij VI. & Martini V. At Officium hoc vbique celebrat & decantat lanceam illam, quæ ſacratiſſimum Saluatoris noſtri latus ſubiit.

Verumenimuero ſententiæ huic nonnulla obſtát. I. quia Lancea Dominica primùm Antiochiæ à Cruce ſignato exercitu reperta eſt, Anno Redemptoris M. XCVIII. prout Tomo Tertio de S. Cruce lib. 2. copioſè monſtrauimus.

II. Quia lanceæ ferrum Pariſiis in Sacello Regio à S. Ludouico Francorum Rege repoſitum eſt, vt ſcribit Guillermus de Nangis in libro de rebus geſtis S. Ludouici.

III. Quia Baiazetes Turcarum Imperator lanceæ ferrum Innocenti VIII. muneri miſit. Anno ſalutis MCCCCXCII. quod adhuc Romæ reuerenter habetur & colitur.

Reſpondeo, hæc nobis non officere: ad primum enim reſponderi poſſet, lanceã Dominicam demùm poſt Cruce ſignatorum tempora Regalibus Imperij acceſſiſſe. Sed non vtemur hac defenſione; Dico igitur, non totam lanceam Dominicam Norimbergæ fuiſſe; ſed partem ſeu particulam; hinc multi Auctores id, quod Norimbergæ exſtabat, nominant *ferrum* ſeu *cuſpidem lanceæ*; in cuius portiunculæ honorem lancea integra fabrefacta eſt, quæ à parte, *Dominicæ lanceæ* appellationem tulit; vt in hoc Sanctarum Reliquiarum

argumento frequentissimè accidit, prout in libris de S. Cruce crebrò monstrauimus. Quocirca nihil à fide alienum est, lanceam hanc à Cruce signatis Antiochiæ fuisse repertam, cum inter Cimelia Imperij integram exstitisse non affirmemus: cuius aliqua portio postea ad Ludouicum Francorum Regem peruenit, vt & ad Innocentium VIII. Certè ferrum lanceæ, quod Romæ custoditur, cuius ectypon publicè excusum prostat, vt supra vidimus, quodque Antiochiæ inuentum dicitur; suprema cuspide caret, & quidem non modica eius parte; ita, vt sicuti iam repræsentatur, nullus lancea illa vulnerari potuerit. Aliquid ergo ademptū est; quod piorum vsui cessit, prout etiam Baiazetes Turcarum Imperator, cum Innocentio VIII. Pontifici lanceam dono mitteret monuit, vt ex antiquis Diariis Vrbis Romæ notat Iacobus Bosius lib. 1. de Cruce Triumphante cap. 17. postea cum pars lanceæ Dominicæ esset, pro tota lancea Dominica haberi cœpit; fabrefacta, vt fieri moris erat, effigie lanceæ, qua sacra illa portiuncula includeretur. Ita omnia, quæ de hac lancea feruntur, probè concinunt.

Secunda, inter Imperij sacra Cimelia est lancea Constantini Magni; de qua Sigebertus, Otho Frisingensis, Auctor, qui vitam S. Gerardi, Abbatis Bromiensis scripsit, & præcipuè Luitprandus Ticinensis, quos citaui Tomo 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 96. quibus adde Auctorem incertum de Archiepiscopis Bremensibus, qui cum Adamo Bremensi coniungi solet.

Tertia lancea est S. Mauritij, quam inter Imperialia insignia ponit Godefridus Viterbien. & Sugerius in libro de rebus gestis Ludouici Crassi, Francorum Regis.

Quan-

Quarta lancea est Caroli Magni, cuius mentio fit apud Wilhelmum Malmesburiensem lib. 2. de gestis Regum Angliæ cap 6. Hęc expreſsè non numeratur ab Auctoribus, quod sciam, inter Imperij insignia; sed gladius Caroli Magni, vt capite primo audiuimus, mētio tamen eius fit à Malmesburiensi, vt dixi, & à Continuatore Bedæ lib. 2. cap. 8. videturque esse illa, quæ inter Imperij insignia seruabatur ante Henrici Aucupis tempora; Lanceā enim inter hæc regalia fuisse, ostendit factum Conradi Regis Romanorum, hoc nomine primi, qui fratri suo Eberhardo mandauit, vt post mortem suam insignia Imperij, & in his lanceam, ad Henricum Aucupē deferret, eumque Regem salutaret. *Sumptis his insignijs*, inquit Witichindus, lib. 1. *lancea sacra, armillis aureis cum chlamyde, & veterum gladio Regum ac diademate, ito ad Henricum, facito pacem cum eo, vt eum fœderatum poßis habere in perpetuum.*

Cum ergo lancea Constantiniana ab hoc Henrico, cui cognomentum *Auceps*, & Lancea Mauritiana ab Othone Magno Imperij insignibus adiectæ fuerint, dicere oportet, hanc à Conrado Rege ad Henricum missam, fuisse diuersam, nec est, quòd aliam, quàm Carolinam interpretemur, nisi quis contendere velit fuisse *Dominicam*, hoc est, illam, cui aliquid de cuspide lanceæ Dominicæ insertum fuerat, vt antea diximus: Ex his etiam liquet, quomodo aliquid de lancea ad S. Ludouicum Francorum Regem, & ad Innocentium VIII. Pontif. Maximum peruenire potuerit.

Obiicies: Lanceam Dominicam iam ante aliquot secula desiisse esse in Cimeliis Imperij, vtpote dono datam Æthelstano Regi Anglorum ab Othone Magno, vt ex Ranulpho lib. 6. Polychronici refert in sua chro-

chronologia Genebrardus; nec silent Magdeburgici Centur. X. cap. VI.

Respondeo, Ranulphum deceptum esse; & falsa pro veris Lectori propinasse: idque fortassis ex non intellecto Malmesburiensi, aut simili quopiam autore Anglicano; neq; enim Henricus, neque Otho, sed Hugo Rex Francorum munera sacra ad Æthelstanum misit: Ensem nimirum Constantini Magni, Lanceam Caroli Magni, Vexillum S. Mauritij, particulam sanctæ Crucis, & aliquid de corona spinea, vt tradit quoque Continuator Bedæ lib. 2. capite 8.

Dices, hanc lanceam Caroli Magni fuisse illam, quæ latus Domini in Cruce pendentis aperuit.

Respondeo, non fuisse nisi persuasione vulgi. Quocirca vterque Auctor, hoc est, Malmesburiensis & continuator Bedæ, hac loquendi formula vtitur. *Ferebatur eadem esse, quæ Dominico lateri impacta, paradisum mortalibus aperuit.* *Ferebatur*, nimirum vulgi persuasione, cui aliud pro alio cogitatione apprehendere insuetum non est. *Ferebatur*; quia fortè aliquid de Dominica lancea illigatum continebat. Ranulpho errandi occasio forte an fuit Malmesburiensis, & qui verba huius verbatim exscripsit, Continuator Bedæ; non satis enim distinctè exponunt duas Legationes ad Æthelstanum missas, alteram, ab Henrico Aucupe, Patre Othonis Magni: alteram, ab Hugone Rege Franciæ. Habebat Æthelstanus quatuor sorores; ex quibus vnam poscebat Henricus Othoni filio suo in matrimonium, vnam itidem sibi in cõiugem ambiebat Hugo, qui quo voti certius ac citius compos efficeretur munerib. supra enumeratis, Æthelstanum ad assensum inducere studuit.

Red-

Reddamus ipsa verba Malmesburiensis. *Henricus Primus, filius Conradi, Rex Teutonicorum* & Imperator Romanorum, *sororem eius* (Æthelstani) *filio Othoni expostulauit, tot in circuitu Regibus praetermissis, progeniei generositatem & animi magnitudinem in Aedelstano è longinquo conspicatus. Adeo enim haec duo in eo consentiens habitaculum effecerant, vt nullus esset vel genere clarior, & illustrior, vel animo audacior & efficacior. Quare perpenso consilio, quòd quatuor sorores haberet, in quibus praeter aetatis discrimen, nihil de forma gratia dissideret, duas postulanti Caesari misit, Quas ille quomodo nuptum locauerit, iam sermo praeoccupauit; tertiam legitima copula sortitus est comparem Ludouicus Aquitanorum princeps, de genere Caroli Magni superstes; quartam, in qua omne coagulum pulchritudinis, quod caetera pro parte habent, naturaliter confluxerat, Hugo Rex Francorum per nuncios à germano expetiit.*

Princeps huiusce legationis fuit Adulphus, filius Balduuini Comitis Flandriae, ex filia regis Eduuardi Ethelsuuitha. Is cum in conuentu procerum apud Abandonam proci postulata exposuisset, protulit munera sanè amplissima, &c. Ensem Constantini Magni, in quo litteris aureis nomen antiqui possessoris legebatur, in capulo quoque super crassas auri laminas clauum ferreum affixum cerneres, vnum ex quatuor, quos Iudaica factio Dominici corporis aptarat supplicio. Lanceam Caroli Magni, quam, Imperator inuictissimus contra Saracenos exercitum ducens, si quando in hostem vibrauerat, nunquam nisi victor abibat. Ferebatur eadem esse, quae Dominico lateri Centurionis manu impacta, pretiosi vulneris hiatu paradisum miseris mortalibus aperuit: Vexillū beatissimi martyris Mauritij & Thebaeae legionis Principis, quo idem Rex in bello Hispanico quamlibet infestos & confertos inimicorum cuneos disrumpere, & in fugam solitus erat cogere: Diadema ex auro

quidem multo, sed magis gemmis pretiosum, quarum splendor ita in intuentes faculas luminis iaculabatur, vt quanto quis certaret visum intendere, tanto magis reuerberatus cogeretur cedere. Particulam sanctæ & adorandæ Crucis crystallo inclusam, vbi soliditatem lapidis oculus penetrans potest discernere, qualis sit ligni color, & quæ quantitas: portiunculam quoq; Coronæ spineæ eodem modo inclusam, quam ad derisionem regni, militaris rabies sacrosancto imposuit capiti. His tantis & tam elaboratis donis magnificentissimus Rex gauisus, non minoribus pene respondit beneficiis, quin & anhelantis animum nuptiis sororis refecit. Et cæteris quidem Successores Reges dotauit; Partem verò Crucis & Coronæ Malmesburiæ delegauit, quorum sustentaculo adhuc credo vigere locum illum tot libertatis naufragia, tot calumniatorum iniurias passum. Hæc Malmesburiensis. Eadem verbatim prorsus Continuator Bedæ, vt alterum ab altero descripsisse necesse sit.

Non ergo Henricus, non Otho, sed Hugo Rex Francorum lanceam Carolinam Æthelstano donauit; & germanus, à quo Hugo sororem sibi in coniugem postulauit, non est germanus natione, sed sponsæ petitæ frater Germanus Æthelstanus.

Dices. Si Lancea Caroli Magni in Angliam ad Æthelstanum peruenit, eo modo, quo id Malmesburiensis refert, sequitur eam inter Cimelia Imperij post Henricum Aucupem, & Othonem Magnum, non fuisse, quidquid sit de anterioribus seculis.

Respondeo, Carolum Magnum tam strenuum & inuictum, totque annorum bellatorem inclytum proculdubio plures lanceas militares habuisse, quæ posteris ob memoriam tanti Herois venerationi fuerint; nec tantum venerationi; sed & vsui; quippe qui non fru-

stra crederent, omnia prosperè cessura, vbi tanti Principis hasta res gereretur.

Ex his, quæ hoc capite disputauimus, refellere licet calumnias Marquardi Freheri, Caluinistæ, quas, effudit in Notis ad Petri de Andlo Tractatum de Romano Imperio, vbi dicit; eam lanceam quam alij lateris Dominici perforatricem appellant, à Sigeberto & Luitprando attribui Constantino Magno; à Viterbiensi, Mauritio, à Continuatore Bedæ Carolo Magno; *quasi isti Auctores vnam eandemq; lanceam diuersis nominibus nominauerint, alius quidem Dominicam; alius, Mauritianam; alius, Constantinianam; alius, Carolinam*: quod secus est, quia de diuersis lanceis loquuntur, prout reuera diuersæ lanceę inter Cimelia & Reliquias Imperij continebantur. Itaque quod Freherus *de superstitionis matre, mendacio, nusquam sibi constante*, adiicit; id vt inscitiæ, ita & manifesti conuicij argumentum est, cum lanceæ sint prorsus diuersæ; Auctoresq;, quibus de his lanceis sermo, apertè discriminent. Ait Freherus: *Hodie illa Clinodia apud ciuitatem Norimberg. asseruari dicuntur*. Scilicet tam peregrinus erat Freherus in patria vel sua vel suorum maiorum, vt pro certo affirmare non posset; *Clinodia* Imperij asseruari Norimbergæ. Dubitantis & solùm vulgi rumorem sequentis vocula, *Dicuntur*, apponenda fuit. Non iniucundum proculdubio Frehero accidisset, si vt alibi alia, ita & Norimbergæ monumenta hæc abolita fuissent.

Vt igitur rem in compendium conferam; inter Imperij insignia quatuor lanceas adseruatas statuo, Dominicam, sensu iam supra explicato, Constantinianã, Mauritianam & Carolinam. Muto igitur ea, quæ Tomo 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 96. & Tom. 3. lib. 1. cap.

20. minus distinctè inter varias Historicorum senten-tias fluctuabundus scripsi: nam vt lanceam Domini-cam inter digmata & stemmata Imperialia recipiam, adducor. I. auctoritate duorum Pontificum Innocen-tij VI. & Martini V: qui suis in Bullis lanceam Impe-rialem expressè nominant Dominicam, & illam, quæ latus Domini aperiens sanguinem & aquam eduxit.

II. Auctoritate Imperatorũ, præsertim Caroli IV. quibus omnibus semper hic sensus fuit, se lanceam Do-minicam inter Regalia possidere.

III. Auctoritate totius Orthodoxi Imperij Ro-mani, cuius indigenę eandem persuasionem habuerũt; quorum multi ad annuam Reliquiarum ostensionem potissimum desiderio huius lanceæ videndæ & colen-dæ Norimbergam confluebant, postquam sacra ista Lipsana in illa præclara Vrbe sedem fixerunt.

IV. Non parum itidem tribuendum arbitror Of-ficio de Armis Christi, cum, approbante Pontifice Ma-ximo, compositum & in Ecclesias Alamanniæ intro-ductum fuerit, hoc autem Officium non aliam cele-brat & decantat lanceam, præter illam, quæ sanguine Redemptoris nostri tincta est. Quare audiendus non est Bzouius ad annum Domini 1350. vbi cum ex Du-brauio Imperialia Insignia commemorasset; itemque ex Lupoldi Bebenbergensis libello, de veterum Prin-cipum Germanorum Zelo, de Constantiniana lancea, & Lancea Antiochiæ reperta, nonnulla exscripsisset; subiecit; *Ex quo non nemini euidens est, lanceam illam, cu-ius ferrum Pragæ inter Imperialia sacra pignora asserua-tur, non esse eam, qua Christi latus, statim à morte transfixum est, sed ex aliquo clauorum Domini vel particulam decisam, vel limaturam derasam.* Non Pragæ, sed Norimbergæ

fermè

fermè à ducentis annis lancea, de qua Dubrauius, custoditur, vt Bulla Martini V. nos iam antea docuit.

Deinde omnia hæc; nimirum lanceam Dominicam inter Imperialia stemmata asseruari, & Antiochiȩ à Cruce signatis repertam, & postea à Turcarum Rege ad Innocentium VIII. missam esse, Et Parisiis quoque in Sacello Regio exstare; probè inter se concinũt, vt suprà demonstratum est; quia singula non de tota lancea accipienda sunt; sed de partibus eius; nam Norimbergæ est cuspis Lanceæ; Romæ ferrum non cuspidatum, vt loquitur ipsemet Bzouius; Parisiis aliqua huius lanceæ particula; quibus partib. à tota lancea appellatio Dominicȩ lanceȩ venit, vt in his talib. fieri assolet: Et cum Auctores dicunt; Antiochiæ lanceam Dominicam à crucigero exercitu inuentam esse; haud de tota lancea loquuntur, quia iam diu ante expeditionem illam, cuspis lanceæ Dominicæ inter Imperij Cimelia numerabatur. Et hæc quidem hactenus.

CAPVT IX.

De lancea Dominica ex diuina reuelatione Antiochiæ reperta.

DE hoc argumento scripsi Tom. 3. de S. Cruce lib. 2. cap. 9. Interea prodierunt Auctores *Nouantiqui*, coniecti in volumen, quod *Gesta Dei per Francos*, inscribitur; qui de sacræ lanceæ inuentione lectu & scitu haud iniucunda memorant, quæ huic dissertationi inserere volui, vt tractatio plenior & vberior euadat. Auspicemur à diuina reuelatione, qua lancea Cruce signatis summa rerum omnium inopia pressis & fermè

ad desperationem adactis, patefacta est. Nec meis hic vtar verbis; sed *Raimundi de Agiles*, Canonici Podiensis, qui interfuit, & singula, quæ gerebantur, coram spectauit. Ita ergo ille in Historia Hierosolymitana.

Dum nostri conturbarentur, & in desperationem ruerent, diuina eius clementia adfuit; & qua lasciuientes filios correxerat, nimium tristes tali modo consolatus est. Igitur cum capta esset ciuitas Antiochiæ, *vsus sua potentia & benignitate Dominus, pauperem quendam rusticum elegit*, Prouincialem *genere, per quem omnes nos confortauit; & Comiti & Podiensi Episcopo hæc verba mandauit.* Andreas Dei & Domini nostri IESV CHRISTI Apostolus, me quater olim admonuit, & iussit, vt ad vos venirem, & lanceam quæ Saluatoris latus aperuit, capta ciuitate, vobis redderem. Hodie autem cum ad pugnam profectus essem extra ciuitatem cum reliquis, atque comprehensus à duobus equitibus penè suffocatus in regressu fuissem; quasi exanimis illic super lapidem tristis resedi: cumque præ dolore, & timore, sicut tristis titubarem: venit ante me beatus Andreas cum socio quodam; & multum mihi interminatus est, nisi citò vobis redderem lanceam. *Cumq; ab eo Comes & Episcopus reuelationis & visionis Apostolicæ ordinē requirerēt, respondit.*

In principio terræmotus, qui apud Antiochiam factus est, cum exercitus Francorum obsideret eam, tantus timor me inuasit, vt nihil, præter DEVS ADIVVA, dicere possem. Erat enim nox, & ego iacebam; nec in tugurio meo erat aliquis, cuius consortio refouerer. Cum autem, vt dixi, concussio diutius duraret, & timor meus semper excresceret, coram me duo viri adstiterunt, in veste clarissima: alter erat Senior, ruso cano-

canoque capillo, oculi nigri, & conuenientes faciei; barba verò cana, & lata atque prolixa; & statura eius media: Alter verò iunior, & procerior erat, speciosus formâ pro filiis hominum: & ait mihi senior: *Quid agis?* Et ego maximè timui, quia nullum adesse sciebam. Et respondi: *Quis es tu?* Et ait: *Surge, & noli timere; & audi quæ ego loquar ad te. Ego sum Andreas Apostolus. Congrega Episcopum Podiensem, & Comitem sancti Aegidij, & Petrum Raimundum de alto pullo, & hæc dices ad illos: Cur negligit Episcopus prædicare, & commonere, & cum Cruce, quam præfert, signare populum? etenim multum prodesset illis.* Et addidit: *Veni, & ostendam tibi, Patris nostri* IESV CHRISTI *lanceam, quã Comiti donabis: etenim eam* DEVS *concessit illi, ex quo genitus est.*

Surrexi itaque, & secutus sum eum in ciuitatem, nullo circumdatus amictu, præter camisiam. Et induxit me in Ecclesiam beati Petri per Septentrionalem portam, quam antea Saraceni Basumariam fecerant. In Ecclesia verò duæ lampades erant, quæ tantum lumen ibi reddebant, ac si meridies illuxisset: Et dixit, *Expecta hic.* Et iussit me assistere columnæ, quæ proxima erat gradibus, quibus ascendebatur ad altare à meridie: Et socius eius à longè stetit, ante gradus altaris. Ingressus autem sub terram sanctus Andreas, produxit lanceam, atque in manibus mihi tradidit. Et dixit mihi: *Ecce lancea quæ latus aperuit, vnde totius mundi salus emanauit.* Dumque in manibus eam tenerem, lachrimando præ gaudio, dixi ei: *Domine si vis portabo eam, & reddam Comiti.* Et dixit mihi: *Sine modo, futurum enim est, vt ciuitas capiatur. Et tunc venies cum duodecim viris, & quæres eam hic, vnde ego abstraxi, & vbi eam recondam.* Et recondit eam.

His

His ita peractis, super murum ciuitatis reduxit me in domũ meam; & sic à me recesserunt. Tunc ego mecum recogitans, & paupertatis meæ habitum, & vestram magnitudinem, veritus sum ad vos accedere. Post illud tempus cum profectus essem ad quoddam castrum, quod est iuxta *Roiam*, propter alimoniam, prima die quadragesimæ in galli cantu, adfuit mihi B. Andreas in eodẽ habitu, & cum eo, quo prius venerat, socio: & magna claritas domum repleuit. Et ait B. Andreas; *Vigilas ne?* Sic expergefactus, respondi: *Non, Domine mi; nõ dormio*; & ait mihi: *Dixisti ea, quæ dudũ tibi dicẽda mandaui?* & respondi: *Domine, nonne precatus sum vos, vt alium eis mitteretis? Etenim metuens paupertati meæ, accedere ad illos dubitaui.* Et dixit mihi: *Nescis ne, cur* DEVS *huc vos adduxit, & quantum vos diligat, & quomodo vos præcipuè elegit? Pro contemptu sui, & suorum vindicta, vos huc venire fecit. Diligit vos adeò, vt Sancti iam in requie positi, diuinæ dispositionis gratiam prænoscentes, in carne esse, & concertare vobiscum vellent. Elegit vos* DEVS, *ex omnibus gentibus, sicut triticeæ spicæ de auenaria colliguntur. Etenim meritis & gratia præceditis omnes, qui ante & post vos venient, sicut aurum pretio præcedit argentum.*

Post hæc discesserunt, & me tanta ægritudo oppressit, vt lumen oculorum perderem; & dispositionem tenuissimæ paupertatis meæ facerem. Tunc ego cœpi mecum cogitare, quod ob negligentiam Apostolicæ visionis, hæc iustè mihi contingerent. Confortatus itaque ad obsidionem reuersus sum. Rursus paupertatis meæ debilitatem recogitans, timere cœpi, si ad vos venirem, famelicum me esse, & pro victu talia referre me proclamaretis: Itaque & ea vice conticui. Defluente itaque tempore, cum apud portum sancti

Simeo-

Simeonis essem, atque cum Domino meo Willelmo Petri, infra tentorium vna recubarem, affuit beatus Andreas cum Socio, & habitu eodem quo prius venerat, atque sic mihi locutus est: *Cur non dixisti Comiti & Episcopo, & aliis, quæ ego præceperam tibi?* & respondi. *Nonne ego precatus sum te, Domine, vt alium pro me mitteres, qui & sapientior esset, & quem vellent audire: præterea Turcæ sunt in itinere, qui venientes & abeuntes interficiunt.* Et ait sanctus Andreas: *Noli timere, quia nihil tibi nocebunt: Hæc quoque dices Comiti, cum venerit ad Iordanem fluuium, nõ intinguatur ibi, sed nauigio transeat: Cum autem transierit, camisia & braccis lineis indutus, de flumine aspergatur. Et postquam siccata fuerint eius vestimenta, reponat ea, & conseruet ea cum lancea Domini.* Et hæc dominus meus Willelmus Petri audiuit, licet non videret Apostolum.

Confortatus igitur, ad exercitum reuersus sum. Cumque vobis hæc pariter dicere vellem, coadunare vos non potui. Itaque profectus sum ad portum de Mamista. Ibi verò cum nauigare in Cyprum insulam pro victualibus vellem, comminatus est mihi multum beatus Andreas, nisi citò redirem, & vobis iniuncta mihi referrem. Cumque cogitarem mecum, quomodo reuerterer ad castra: aberat enim portus ille, ab exercitu quasi per tres dies: amarissimè flere cœpi, cum redeundi facultatem reperire non possem. Tandem à sociis & domino meo commonitus nauigium ingressus in Cyprum remigare cœpimus. Et cum per totam diem remis, & prosperis ventis ageremur, vsque ad solis occasum, orta subitò tempestate, in spatio vnius horæ vel duarum ad relictum portum reuersi sumus. Ibi languorem grauissimum incurri. Capta autem ciuitate ad vos veni. Et nunc si vobis placet, experimini

quæ dico. *Episcopus autem nihil esse præter verba putauit: Comes verò illicò credidit, & illum, qui hoc dixerat, Capellano suo Raimundo, custodiendum tradidit.*

CAPVT X.

Quomodo & quando sacra lancea post cœleste indicium reperta sit, & de festo lanceæ inuentæ.

DIe alia, inquit Raimundus, oculatus testis, *præparatis necessariis cum homine illo, qui de lancea dixerat, eiectis de Ecclesia beati Petri omnibus aliis, fodere cœpimus. Fuit autem in illis duodecim viris.* Episcopus Aurasicensis & Raimundus Comitis Capellanus, *qui hæc scripsit, & ipse* Comes, & Pontius de Baladuno & Faraldus de Thoart. *Cumq; manè vsque ad vesperum fodissent, in vespere quidam de inuentione lanceæ desperare cœperunt. Discesserat enim Comes propter Castelli custodiam: Sed loco illius, & aliorum, qui fodiendo fatigabantur, alios recentes inducebamus, qui viriliter operi insisterent. Videns autem iuuenis, qui de Lancea dixerat, nos defatigari, discinctus, & discalciatis pedibus in camisia in foueam descendit; atque obtestatus est nos, vt Deum deprecaremur, quatenus nobis Lanceam suam redderet, in confortationem & victoriam suæ plebis. Tandem per gratiam suæ pietatis commonitus Dominus, Lanceam suam nobis ostendit. Et ego, qui hæc scripsi, cum solus mucro adhuc appareret super terram, osculatus sum eam. Quantum gaudium & exultatio tunc ciuitatem repleuit, non possum dicere. Inuenta est autem Lancea octauo decimo Kalend. Iulij.*

Secunda verò nocte astitit beatus Andreas *iuueni, per*

quem nobis lanceam reddiderat, & dixit ei: Ecce Deus donauit Comiti quod nulli alij vnquam donare voluit, & constituit eum vexilliferum istius exercitus, siquidem perseuerauerit in amore eius. *Cumque ab eo misericordiam pro populo postularet iuuenis; Respondit ei sanctus Andreas*, quod reuera Dominus misereretur populi sui. *Et rursus cum quaereret ab eodem de socio suo, quis esset, quem toties viderat, dixit ei B. Andreas:* Accede & osculare pedem eius. *Festinus itaque volens accedere, vidit plagam vnam super pedem eius ita recentem, & sanguinolentam, ac si modo facta fuisset. Cum autem dubitaret accedere, propter vulnus & sanguinem, sanctus Andreas ait:* Ecce ille pater, qui pro nobis vulneratus fuit in Cruce, & hęc inde plaga. Hæc etiam Dominus præcipit, vt celebrem habeatis diem illum, in quo lanceam suam vobis reddidit. Et quia in vesperâ reperta est, & non potuit dies illa celebris haberi, sequenti hebdomada in octauis solennitatem celebrabitis; & singulis annis deinceps in die inuentionis ipsius Lanceæ. Hæc quoque dices ad illos, vt contineant se sicut epistola docet fratris mei Petri, quæ hodie legitur. *Et epistola fuit haec:* Humiliamini sub potenti manu Dei. *Et quotidie Clerici ante lanceam, cantent hunc hymnum.* Lustris sex qui iam peractis. *Et cum dixerint:* Agnus in Crucis leuatur immolandus stipite: *Flexis genibus hymnum finiant.*

CAPVT XI.

Controuersia de lancea Antiochiæ reperta.

EA est humani ingenij in rebus & factis humanis cōditio, vt vbi euidentiâ rei non compellitur, facilè fluctuet, deque veritate hæsitet: id videre licuit Antiochiæ; vbi, quamprimum lancea Dominica in lucem venit, quidam dubitare cœperunt, num germana & sincera lancea esset, omni dolo procul inde remoto. Quæ dubitatio non tantum Antiochiæ, nonnullorum pectora pulsauit; sed & postea in itinere versus Hierosolymam relictâ iam Antiochia, longè vehementius erupit: vt scribit Wilhelmus Tyrius lib. 7. de Bello sacro, cuius verba adscribam.

Renouata est quæstio de lancea, quæ apud Antiochiam reperta fuerat: vtrum ea esset, qua de latere Domini sanguis & vnda profluxit; an res esset commentitia. Dubitabat .n. valdè super hoc populus, sed & Maiores penitus fluctuabant incerti: aliis dicentibus, quod verè ipsa esset, quæ Domini Cruce maduerat, eius latus aperiens, & per inspirationem diuinã in consolationem plebis reuelata; aliis asseuerantibus, quod versutiarum Tolosani Comitis esset argumentum, & gratiâ quæstus adinuentio ficta. Huius autem dissensionis auctor erat præcipuus, quidam Arnulphus, Domini Normanorum Comitis familiaris & capellanus; vir quidem litteratus, sed immundæ conuersationis, & scandalorum procurator: de quo in sequentibus multa dicenda occurrent. Cumq; diu super hoc in populo sermo hic discurreret contradictorius, hic, qui eam reuelationem sibi factam fuisse asserebat, vt populo fidem faceret, & omnem

omnem tolleret ambiguitatem, rogum copiosum præcepit accendi, pollicens se, auctore Domino, certo per ignem experimento fidem se facturum incredulis, quod nihil confictum, nihil commento adumbratum in eo facto intercessisset; sed sola reuelatione diuina ad notitiam hominum, & eorum consolationem, totum esset procuratum. Accenso igitur rogo copioso admodum, cuius incendij feruor etiam circumpositos terrere poterat: conuenit vniuersus populus à maiore vsque ad minorem, in ea sexta feria, quæ sanctum Domini Pascha præcedit, in qua & mundi Saluator pro nostra salute passus esse legitur, vt tantæ rei plenum haberet experimentum. Qui verò tam periculosum examen spontè subiturus erat, dicebatur Petrus Bartholomæi, *Clericus quidem, sed modicè literatus, & quantum ad humanum diem diiudicare pertinet, homo simplex videbatur. Qui oratione factâ in conspectu circumpositarum legionum, assumpta secum prædictâ Lanceâ, per ignem transiuit, quantum populo videbatur, illæsus. Verum hoc eius factum non solum non amputauit quæstionem, sed maiorem suscitauit: nam infra paucos dies vitâ decessit, cuius accelerati obitus occasionem, cum homo sanus & vitalis prius videretur, quidam asserebant tentatum incendium: dicentes, quod in eo tanquam fraudis patronus, mortis caussam collegisset. Alij verò dicebant, quod ab incendio sanus euaserat, & incolumis; sed egressum ab igne, turba causâ deuotionis irruentes, oppresserant & contriuerant eatenus, vt vita finē ministrarent. sicq; res quæ in dubium venerat, nullam recipiens decisionem, maius induxit ambiguum.*

Hæc Tyrius, de quibusdam incredulis, quorum tamen incredulitas, fidem aliorum *non euacuauit*, vt cum Apostolo loquar. Certè obtenta tam admirabilis victoria post inuentam lanceam, & exercitui à Podiensi Episcopo præportatam, omni dubitatione istos li-

bora-

berare poterat: sed sunt quidam vsque adeo duri Capitones, vt vix, etiam illud, quod oculis vident, manibusque tangunt, sibi persuaderi sinant.

CAPVT XII.

Lanceæ repertæ miri effectus.

CHristiani Antiochiæ grauissima obsidione cincti fermè spem omnem salutis abiecerant, ob innumerabiles hostium cuneos, qui omnibus ad vitam necessariis rebus abundabant, cum ipsi rerum omnium extrema egestate laborarent: sed inuenta lancea animos nonnihil resumpserunt; etiam cœlestibus visis & monitis excitati. Itaque cum decreuissent cum hoste confligere, & aut fortiter vincere, aut fortiter mori; indictum est. I. *Triduanum ieiunium* (recensebo enim omnia ad futurum conflictum præparamenta, vt videant, qui prælium inituri sunt, quomodo ad id se præparare debeant.) II. *Vnusquisque puro corde confessus fuit.* III. *Qui aliquid ad edendum habuit, non habenti distribuit.* IV. Triduum istud consumpserunt, *cum omni humilitate & puritate cordis Ecclesias processionaliter circumeuntes, & Domini misericordiam implorantes.* V. *Indultis offensis & rancore deposito, si quis erat, vt reformata charitate cum maiore fiducia ad prælium egrederentur.* VI. *Tertia die illucescente, Missa per Ecclesias celebrata sunt, omnesque sanctâ Dominici corporis communione communicati.*

Robert. Monachus lib. 7.

Tyr. lib. 6. c. 16.

Celebratis ergo diuinis, inquit Tyrius, *& legionibus vniuersis cœlesti munere satiatis, tanta est eis diuinitus infusa gratia,*

gratia, vt qui heri & nudiustertius quasi segnes & abiecti, macilenti & exsangues, præ defectu virium vix poterant attollere lumina, frontes erigere, & ieiuniis attenuati, victi laboribus quærebant latibula, pristinæ honestatis immemores, nunc vltro in publicum prodeuntes, abiecta ignauia, quasi resumptis viribus, arma baiulant viriliter, & de bellicis tractare animositate præsumunt solita, palmam sibi promittentes. Vix reperiebatur in tanto populo conditionis aut ætatis cuiuspiam, qui non meditaretur fortia, qui non sibi præsagiret victoriam, Nec defuere exercitui solatores & hortatores Episcopi ac Sacerdotes; qui I. *Sacris induti vestibus turmas circumeuntes & conuentus Cruces deferebant in manibus.* II. Etiam Sanctorum *patrocinia*, hoc est, Reliquias. III. *Peccatorum promittebant indulgentiam & plenam delictorum remissionem his, qui fortiter in acie desudarent.* IV. Iam aciebus ex Vrbe in campum prodeuntibus, *immixti erant Deo deuoti Sacerdotes & Leuitæ, stolis amicti albis, signum Crucis mirabile deferentes in manibus.*

V. Quartæ aciei præerat cum aliis Episcopus Podiensis *Dominicam Lanceam secum deferens.* VI. Nec otiosi fuere Sacerdotes, quibus in ciuitate remanendum fuit; *nam super muros ascendentes, vestibus induti Sacerdotalibus, in lacrymis & oratione perseuerantes, expansis manibus pro fideli populo sine intermissione orabant ad Dominum, vt parceret populo suo, & ne daret gentibus in opprobrium hæreditatem suam.*

De iisdem Robertus Monachus. *Episcopi, Presbyteri, Clerici & Monachi sacris vestibus induti cum militibus extra portam ciuitatis exierunt, portantes in manibus suis Cruces, quibus Dei populum signabant,* (nota morem dandi

bene-

benedictionem per Cruces) *& magnis vocibus ad cælum manibus extensis clamabant: Saluum fac populum tuum, & benedic hæreditati tuæ*, &c. *Similiter illi, qui in turribus erant & super murum; idem faciebant & cantabant*. Et hinc, nisi fallor, aptam formam Clerici, qui in castris & inter milites degunt, mutuari possunt, quomodo se gerere debeant.

Nec miraculo caruit ros superis ex oris exercitui demissus; *nam quicunque eo imbre cælitus immisso conspersus est*, inquit Tyrius, *ita plenam mentis & corporis suscepit hilaritatem, & integritatem sospitatis, tanquam nihil laboris, nihil molestiæ tota illa expeditione passus esset*. Quod cœleste beneficium etiam ad equos manauit, *quib. vigor pri-* Tyr. lib. 6. c. 19. *stinus à Deo restitutus est in integrum, vt qui per multos ante dies non nisi folia & cortices arborum habuerant pro pabulo, hostium equos & hordeo pastos & palea, tota illa die & celeritate vincerent, & laboris patientia*.

Secuta est mox insignissima & ad omnem posteritatem commemorabilis victoria; ipsis etiam cœlitibus S. Georgio, S. Mauritio & S. Demetrio in subsidium populo Cruce signato submissis. Hæc & plura huius generis planè mira, quæ post inuentionem lanceæ, & ad eius in exercitu præsentiã acciderunt, poterant sanè cuiuis pacis quàm litium amantiori scrupulum de Lancea eximere; num scilicet genuina & germana esset. Quis enim ambigeret amplius, visis tot, post lanceam inuentam, miraculis, & tanta rerum omnium commutatione confestim facta? Nec refert, quod Auctores qui de hac lanceæ inuentione scribunt, in nonnullis circumstantiis dissident, sufficit eos conuenire in eo, quòd narrationis præcipuũ caput est; nam si dissensus, quoad quasdam peristases, scriptoribus fidem detraheret,

ret, vix quidquam in Ecclesiastica & profana Historia certum atque indubium haberemus.

CAPVT XIII.

Lancea Constantiniana descriptio, & victoria eius interuentu reportata.

AVdiamus Luitprandū, qui iam pridē hanc lanceā docto penicillo nobis repræsentauit. *Burgundiorum Rex Rudolph⁹, qui nonnullis annis, Italicis imperauit, lanceam illam à Samsone Comite dono acceperat. Erat enim excepta cæterarum specie lancearum, nouo quodammodo opere, nouaq; elaborata figura, habens iuxta limbum medium vtrobique fenestras. Ha pro pollicibus perpulchrè dua acies vsque ad declinum medium lanceæ extenduntur. Hanc igitur Constantini Magni, sanctæ Helenæ filij, viuificæ crucis inuentricis fuisse affirmant, quæ media in spina, quam limbum superius memoraui, ex clauis, manibus pedibusq; Domini, & redemptoris* IESV *Christi affixis cruces habet.* *Luitpr. lib. 4. cap. 12.*

Henricus itaque Rex, vt erat Domini timens, totiusque religionis amator, audito Rodulfum tam inæstimabile donum habere cæleste, nunciis directis tentauit, si præmiis aliquibus id posset acquirere, sibiq; aduersus visibiles inuisibilesq; hostes arma inuictißima, triumphumq; perpetuum præparare. Quod quum Rex Rodulfus modis omnibus se nunquam facturum ediceret: Rex Henricus, quia mollire hunc muneribus non potuit, minis terrere magnopere curauit. Omne quippe regnū eius cæde atq; incendiis se depopulaturum esse promisit. Quia verò quod petebatur, munus erat, quo cælestibus terrea DEVS

coniunxerat, lapis scilicet angularis faciens utraque unum. Rudolphi Regis emolliuit cor, iustoq; Regi iusta iustè petenti cominus dedit. Neque enim pace præsente, simultati locus erat. nam & eo, qui his crucifixus est, à Pilato ad Herodē properante, facti sunt amici in illa die, qui prius inimici erant ad inuicem. Quanto autem amore Rex Henricus præfatum inæstimabile donum acceperit, tum in nonnullis rebus, tum in hoc præsertim claruit, quòd non solum ad donantem se auri argentiq; muneribus, verumetiam Sueuorum Prouinciæ parte non minima honorauit. DEVS autem, qui quisque quid animo peragat intuetur, non muneris quantitatis, sed bonæ voluntatis inspector ac retributor, quanta ob prælibatam rem mercede æterno in seculo pium donauerit regem, indiciis quibusdā hoc etiam tēpore prodidit, dum cōtra se insurgentes hoc victorifero præeunte signo semper hostes terruit atq; fugauit. Hac igitur occasione, imò Dei voluntate, sanctā Rex Henricus adeptus est romphea, quam filio, vnde in præsentiarum nobis sermo est, decedens cum regno hæreditario dereliquit. Qui quanta donum inæstimabile veneratione coluerit, victoria non solum indicat præsens, verumetiam diuinorum, vt prompturi sumus, admiranda largitio munerum.

Victoria autem, de qua Luitprandus hic, est illa, quam Otho Imperator de fratre suo Henrico eiusque asseclis ad Rhenum retulit, rebus iam fermè desperatis ac depositis: Rex enim Otho quoniam suis ab hostili exercitu circumuentis, fluuio (Rheno) *interiecto subuenire non poterat, recordatus populi Domini, qui repugnantes sibi Amalechitas orationibus Moysi serui Dei deuicerat, protinus de equo descendit, seseque cum omni populo lachrymas fundens ante victoriferos clauos manibus Domini nostri IESV Christi affixos, suaq; lanceæ impositos in orationem dedit, quantumque iusti viri secundum iusti viri sententiam*

Iacobi tunc valeret oratio, res manifesta probauit. Eo namque orante, quum ex suis nullus occumberet, hostes sunt omnes in fugam conuersi, nonnullique eorum, cur fugerent, penitus ignorabant: quoniam quidem præ paucitate se se insequentes hostes videre non poterant. Cæsis igitur plurimis, Henricus est vehementer in brachio percussus, & quanquam lorica triplicis fortitudo ad carnem vsque ensis aciem non admitteret, pondere tamen percussionis acerba brachium est adeò in liuorem conuersum, vt nullis medicorum curis ita mederi posset, quin subsequente anno dolorem permagnum sentiret. Vnde & paulò pòst huius facinoris occasione, ipsum fassi sunt hominem exuisse.

Dices. Lanceam hanc Constantinianam vocari *Dominicam* apud Luitprandum in inscriptione capitis duodecimi libri quarti. Respondeo, ita nominari, non quòd fuerit illa, quæ latus Domini aperuit, sed quia clauis Dominicis, vel saltem Reliquiis clauorum Dominicorum, insignita erat; vt Luitprandus testatur. Cuius lanceæ meminit quoque Sigebertus in Chronico Anno 929. & Auctor, qui vitam S. Gerardi Brumiensis scripsit apud Surium Tom. 5. qui Luitprandi verba verbatim quoque recitat.

CAPVT XIV.

Mira per lanceam S. Mauritij patrata. Vbi etiam nonnulla de sacra Regni Hungarici Corona adducuntur.

Ecantat hęc versibus sensu, quàm modulo elegantiori-

tioribus Viterbiensis, quos adscribam; quia pium morem, imò plures pios mores & ritus aperiunt, inter quos & iste, lanceam hanc Imperatoribus, tanquam tutamen & adminiculum, in congressibus bellicis prælatam fuisse.

Lancea Mauritij reliquis præmaxima signis,
Plurima Christicolis peperit miracula dignis.
Clauus namque DEI *iunctus habetur ei.*
Subiicit Imperio bello gestata potentes,
Motibus ipsius nequeunt obsistere gentes,
Hac vbi bella mouet, vincere cuncta solet.
Lancea sancta solet regnorum vincere lites,
Ipsa facit proceres Romanos esse Quirites,
Ex hac Cæsar habet, quod sibi regna fauent.
Rex Arelatensis illam dum Boso teneret,
Et sibi pugnanti semper fortuna faueret,
Exstitit in digitis terror amara ferens.
Nunc liber expone, quo casu, qua ratione
Traditur Imperio post hac sacra lancea Roma.

Postea narrat, quomodo Boso Rex Arelatensis simul cum Regno suo Lanceam S. Mauritij Othoni Magno tradiderit.

Lancea Mauritij mea quam tibi dextera tradit,
Est caput illorum, quæ nunc mea regna notaui.
Nunc caput Imperij Lancea sancta dabit.

Siffridus tamen Misnensis presbyter in Epitome sua lib. 1. Mauritij lanceam ad Henricum Aucupem peruenisse dicit, dono Regis Burgundiæ. Sed alij rectius Constantinianam lanceam nominant; vt iam ex Luitprando audiuimus. Etiam Sugerius Abbas lib. de rebus gestis Ludouici Crassi Regis Francorum, inter Imperij insignia lanceam S. Mauritij recenset. Recte;
hanc

hanc enim Othoni Magno Rex Arelatensis Boso donauerat, vt Viterbiensis testatur.

Obiicies lanceam S. Mauritij esse nunc Cracouiæ in primario Vrbis templo, vt scribit Cromerus lib. 3. de Rebus Polonicis, & Kranzius lib. 3. Vandaliæ, cap. 36. & quidem dono Othonis II. vt Kranzio placet, vel, vt Cromerus rectè sentit, Othonis III. Imp. cum Boleslaum Poloniæ tunc Ducem, titulo & honore regio exornaret. Non est igitur hæc lancea amplius inter Clinodia Imperij.

Respondeo, nos nulla necessitate cogi, vt credamus S. Mauritio vnicam tantummodo lanceam bellicam fuisse. Quapropter & Cracouiæ vna, & inter Imperij ornamenta, & sacra lipsana alia esse potest. Viterbiensis certè diu post Othonis. III. ætatem vixit; qui lanceam S. Mauritij inter Imperij insignia palam numerat, neque hoc ignorare potuit, quippe Friderici I. Imp. Cancellarius.

Deinde, quod aliâs sæpius, id hic quoque forsan euenit, vt lancea fabricata ad similitudinem Mauritianæ, & Reliquiis de lancea S. Mauritij decorata, prò primigenia Mauritiana haberetur.

De eadem Mauritiana lanceâ intelligendum videtur, quod Chronicon Reichersbergense refert ad Annum Redemptoris. M. IV. ait enim, post superatos Burgundos *ad insignia regalia lanceam clauo Dominicæ passionis insignitam,* additam fuisse. Sed errat, dum Henrico Bauaro Imperatori hoc attribuit, iam pridem enim Otho Magnus adiecerat hanc lanceam Regalibus Imperij.

Nec ad has quatuor lanceas spectat lancea illa Rudolphi Sueuorum Ducis, Henrico IV. in Imperio op-

CAPVT XI.

Controuersia de lancea Antiochiæ reperta.

EA est humani ingenij in rebus & factis humanis cōditio, vt vbi euidentiâ rei non compellitur, facilè fluctuet, deque veritate hæsitet: id videre licuit Antiochiæ; vbi, quamprimum lancea Dominica in lucem venit, quidam dubitare cœperunt, num germana & sincera lancea esset, omni dolo procul inde remoto. Quæ dubitatio non tantum Antiochiæ, nonnullorum pectora pulsauit; sed & postea in itinere versus Hierosolymam relictâ iam Antiochia, longè vehementius erupit: vt scribit Wilhelmus Tyrius lib. 7. de Bello sacro, cuius verba adscribam.

Renouata est quæstio de lancea, quæ apud Antiochiam reperta fuerat: vtrum ea esset, quæ de latere Domini sanguis & vnda profluxit; an res esset commentitia. Dubitabat .n. valdè super hoc populus, sed & Maiores penitus fluctuabant incerti: aliis dicentibus, quod verè ipsa esset, quæ Domini Cruce maduerat, eius latus aperiens, & per inspirationem diuinã in consolationem plebis reuelata; aliis asseuerantibus, quod versutiarum Tolosani Comitis esset argumentum, & gratiâ quæstus adinuentio ficta. Huius autem dissensionis auctor erat præcipuus, quidam Arnulphus, Domini Normanorum Comitis familiaris & capellanus; vir quidem litteratus, sed immundæ conuersationis, & scandalorum procurator: de quo in sequentibus multa dicenda occurrent. Cumq́ diu super hoc in populo sermo hic discurreret contradictorius, hic, qui eam reuelationem sibi factam fuisse asserebat, vt populo fidem faceret, & omnem

omnem tolleret ambiguitatem, rogum copiosum præcepit accendi, pollicens se, auctore Domino; certo per ignem experimento fidem se facturum incredulis, quod nihil confictum, nihil commento adumbratum in eo facto intercessisset; sed sola reuelatione diuinâ ad notitiam hominum, & eorum consolationem, totum esset procuratum. Accenso igitur rogo copioso admodum, cuius incendij feruor etiam circumpositos terrere poterat: conuenit vniuersus populus à maiore vsque ad minorem, in ea sexta feria, quæ sanctum Domini Pascha præcedit, in qua & mundi Saluator pro nostra salute passus esse legitur, vt tantæ rei plenum haberet experimentum. Qui verò tam periculosum examen sponte subiturus erat, dicebatur Petrus Bartholomæi, *Clericus quidem, sed modicè literatus, & quantum ad humanum diem diiudicare pertinet, homo simplex videbatur. Qui oratione factâ in conspectu circumpositarum legionum, assumpta secum prædictâ Lanceâ, per ignem transiuit, quantum populo videbatur, illæsus. Verum hoc eius factum non solum non amputauit quæstionem, sed maiorem suscitauit: nam infra paucos dies vitâ decessit, cuius accelerati obitus occasionem, cum homo sanus & vitalis prius videretur, quidam asserebant tentatum incendium: dicentes, quod in eo tanquam fraudis patronus, mortis caussam collegisset. Alij verò dicebant, quod ab incendio sanus euaserat, & incolumis; sed egressum ab igne, turbæ causâ deuotionis irruentes, oppresserant & contriuerant eatenus, vt vitæ finẽ ministrarent. sicq́; res quæ in dubium venerat, nullam recipiens decisionem, maius induxit ambiguum.*

Hæc Tyrius, de quibusdam incredulis, quorum tamen incredulitas, fidem aliorum *non euacuauit*, vt cum Apostolo loquar. Certè obtenta tam admirabilis victoria post inuentam lanceam, & exercitui à Podiensi Episcopo præportatam, omni dubitatione istos li-

bera-

berare poterat: sed sunt quidam vsque adeo duri Capitones, vt vix, etiam illud, quod oculis vident, manibusque tangunt, sibi persuaderi sinant.

CAPVT XII.

Lanceæ repertæ miri effectus.

Christiani Antiochiæ grauissima obsidione cincti fermè spem omnem salutis abiecerant, ob innumerabiles hostium cuneos, qui omnibus ad vitam necessariis rebus abundabant, cum ipsi rerum omnium extrema egestate laborarent: sed inuenta lancea animos nonnihil resumpserunt; etiam cœlestibus visis & monitis excitati. Itaque cum decreuissent cum hoste confligere, & aut fortiter vincere, aut fortiter mori, indictum est. I. *Triduanum ieiunium* (recensebo enim omnia ad futurum conflictum præparamenta, vt videant, qui prælium inituri sunt, quomodo ad id se præparare debeant.) II. *Vnusquisque puro corde confessus fuit.* III. *Qui aliquid ad edendum habuit, non habenti distribuit.* IV. Triduum istud consumpserunt, *cum omni humilitate & puritate cordis Ecclesias processionaliter circumeuntes, & Domini misericordiam implorantes.* V. *Indultis offensis & rancore deposito, si quis erat, vt reformata charitate cum maiore fiducia ad prælium egrederentur.* VI. *Tertia die illucescente, Missæ per Ecclesias celebrata sunt, omnesque sancta Dominici corporis communione communicati.*

Robert. Monachus lib. 7.

Tyr. lib. 6. c. 16.

Celebratis ergo diuinis, inquit Tyrius, *& legionibus vniuersis cælesti munere satiatis, tanta est eis diuinitus infusa gratia,*

gratia, vt qui heri & nudiustertius quasi segnes & abiecti, macilenti & exsangues, præ defectu virium vix poterant attollere lumina, frontes erigere, & ieiuniis attenuati, victi laboribus quærebant latibula, pristinæ honestatis immemores, nunc vltro in publicum prodeuntes, abiecta ignauia, quasi resumptis viribus, arma baiulant viriliter, & de bellicis tractare animositate præsumunt solita, palmam sibi promittentes. Vix reperiebatur in tanto populo conditionis aut ætatis cuiuspiam, qui non meditaretur fortia, qui non sibi præsagiret victoriam, Nec defuere exercitui solatores & hortatores Episcopi ac Sacerdotes; qui I. *Sacris induti vestibus turmas circumeuntes & conuentus Cruces deferebant in manibus.* II. Etiam Sanctorum *patrocinia,* hoc est, Reliquias. III. *Peccatorum promittebant indulgentiam & plenam delictorum remissionem his, qui fortiter in acie desudarent.* IV. Iam aciebus ex Vrbe in campum prodeuntibus, *immixti erant Deo deuoti Sacerdotes & Leuitæ, stolis amicti albis, signum Crucis mirabile deferentes in manibus.*

V. Quartæ aciei præerat cum aliis Episcopus Podiensis *Dominicam Lanceam secum deferens.* VI. Nec otiosi fuere Sacerdotes, quibus in ciuitate remanendum fuit; *nam super muros ascendentes, vestibus induti Sacerdotalibus, in lacrymis & oratione perseuerantes, expansis manibus pro fideli populo sine intermissione orabant ad Dominum, vt parceret populo suo, & ne daret gentibus in opprobrium hæreditatem suam.*

De iisdem Robertus Monachus. *Episcopi, Presbyteri, Clerici & Monachi sacris vestibus induti cum militibus extra portam ciuitatis exierunt, portantes in manibus suis Cruces, quibus Dei populum signabant,* (nota morem dandi

bene-

benedictionem per Cruces) *& magnis vocibus ad cælum manibus extensis clamabant: Saluum fac populum tuum, & benedic hæreditati tuæ*, &c. *Similiter illi, qui in turribus erant & super murum; idem faciebant & cantabant.* Et hinc, nisi fallor, aptam formam Clerici, qui in castris & inter milites degunt, mutuari possunt, quomodo se gerere debeant.

Nec miraculo caruit ros superis ex oris exercitui demissus; *nam quicunque eo imbre cælitus immisso conspersus est*, inquit Tyrius, *ita plenam mentis & corporis suscepit hilaritatem, & integritatem sospitatis, tanquam nihil laboris, nihil molestiæ tota illa expeditione passus esset.* Quod cœleste beneficium etiam ad equos manauit, *quib. vigor pristinus à Deo restitutus est in integrum, vt qui per multos ante dies non nisi folia & cortices arborum habuerant pro pabulo, hostium equos & hordeo pastos & palea, tota illa die & celeritate vincerent, & laboris patientia.*

Tyr. lib. 6. c. 19.

Secuta est mox insignissima & ad omnem posteritatem commemorabilis victoria; ipsis etiam cœlitibus S. Georgio, S. Mauritio & S. Demetrio in subsidium populo Cruce signato submissis. Hæc & plura huius generis planè mira, quæ post inuentionem lanceæ, & ad eius in exercitu præsentiā acciderunt, poterant sanè cuiuis pacis quàm litium amantiori scrupulum de Lancea eximere; num scilicet genuina & germana esset. Quis enim ambigeret amplius, visis tot, post lanceam inuentam, miraculis, & tanta rerum omnium commutatione confestim facta? Nec refert, quod Auctores qui de hac lanceæ inuentione scribunt, in nonnullis circumstantiis diffident, sufficit eos conuenire in eo, quòd narrationis præcipuū caput est; nam si dissensus, quoad quasdam peristases, scriptoribus fidem detraheret,

ret, vix quidquam in Ecclesiastica & profana Historia certum atque indubium haberemus.

CAPVT XIII.

Lanceæ Constantinianæ descriptio, & victoriæ eius interuentu reportata.

AVdiamus Luitprandũ, qui iam pridẽ hanc lanceã docto penicillo nobis repræsentauit. *Burgundiorum Rex Rudolph⁹, qui nonnullis annis, Italicis imperanit, lanceam illam à Samsone Comite dono acceperat. Erat enim excepta cæterarum specie lancearum, nouo quodammodo opere, nouaq; elaborata figura, habens iuxta limbum medium vtrobique fenestras. Hæ pro pollicibus perpulchrè duæ acies vsque ad declinum medium lanceæ extenduntur. Hanc igitur Constantini Magni, sanctæ Helenæ filij, viuificæ crucis inuentricis fuisse affirmant, quæ media in spina, quam limbum superius memoraui, ex clauis, manibus pedibusq; Domini, & redemptoris* IESV *Christi affixis cruces habet.* Luitpr. lib. 4. cap. 12.

Henricus itaque Rex, vt erat Domini timens, totiusque religionis amator, audito Rodulfum tam inæstimabile donum habere cœleste, nunciis directis tentauit, si præmiis aliquibus id posset acquirere, sibiq; aduersus visibiles inuisibilesq; hostes arma inuictissima, triumphumq; perpetuum præparare. Quod quum Rex Rodulfus modis omnibus se nunquam facturum ediceret: Rex Henricus, quia mollire hunc muneribus non potuit, minis terrere magnopere curauit. Omne quippe regnũ eius cæde atq; incendiis se depopulaturum esse promisit. Quia verò quod petebatur, munus erat, quo cœlestibus terrea DEVS

coniunxerat, lapis scilicet angularis faciens vtraque vnum. Rudolphi Regis emolliuit cor, iustoq; Regi iusta iustè petenti cominus dedit. Neque enim pace præsente, simultati locus erat. nam & eo, qui his crucifixus est, à Pilato ad Herodē properante, facti sunt amici in illa die, qui prius inimici erant ad inuicem. Quanto autem amore Rex Henricus præfatum inæstimabile donum acceperit, tum in nonnullis rebus, tum in hoc præsertim claruit, quòd non solum ad donantem se auri argentiq; muneribus, verumetiam Sueuorum Prouinciæ parte non minima honorauit. DEVS *autem, qui quisque quid animo peragat intuetur, non muneris quantitatis, sed bonæ voluntatis inspector ac retributor, quanta ob prælibatam rem mercede æterno in seculo pium donauerit regem, indiciis quibusdā hoc etiam tēpore prodidit, dum cōtra se insurgentes hoc victorifero præeunte signo semper hostes terruit atq; fugauit. Hac igitur occasione, imò Dei voluntate, sanctā Rex Henricus adeptus est rompheā, quam filio, vnde in præsentiarum nobis sermo est, decedens cum regno hæreditario dereliquit. Qui quanta donum inæstimabile veneratione coluerit, victoria non solum indicat præsens, verumetiam diuinorum, vt prompturi sumus, admiranda largitio munerum.*

Victoria autem, de qua Luitprandus hic, est illa, quam Otho Imperator de fratre suo Henrico eiusque asseclis ad Rhenum retulit, rebus iam fermè desperatis ac depositis: Rex enim Otho quoniam suis ab hostili exercitu circumuentis, fluuio (Rheno) *interiecto subuenire non poterat, recordatus populi Domini, qui repugnantes sibi Amalechitas orationibus Moysi serui Dei deuicerat, protinus de equo descendit, seseque cum omni populo lachrymas fundens ante victoriferos clauos manibus Domini nostri* IESV *Christi affixos, suaq; lanceæ impositos in orationem dedit, quantumque iusti viri secundum iusti viri sententiam*

Iacobi

Ilcobi tunc valeret oratio, res manifesta probauit. Eo namque orante, quum ex suis nullus occumberet, hostes sunt omnes in fugam conuersi, nonnullique eorum, cur fugerent, penitus ignorabant: quoniam quidem præ paucitate se se insequentes hostes videre non poterant. Cæsis igitur plurimis, Henricus est vehementer in brachio percussus, & quanquam lorica triplicis fortitudò ad carnem vsque ensis aciem non admitteret, pondere tamen percussionis acerbæ brachium est adeò in liuorem conuersum, vt nullis medicorum curis ita mederi posset, quin subsequente anno dolorem permagnum sentiret. Vnde & paulò pòst huius facinoris occasione, ipsum fassi sunt hominem exuisse.

Dices. Lanceam hanc Constantinianam vocari *Dominicam* apud Luitprandum in inscriptione capitis duodecimi libri quarti. Respondeo, ita nominari, non quòd fuerit illa, quæ latus Domini aperuit, sed quia clauis Dominicis, vel saltem Reliquiis clauorum Dominicorum, insignita erat; vt Luitprandus testatur. Cuius lanceæ meminit quoque Sigebertus in Chronico Anno 929. & Auctor, qui vitam S. Gerardi Brumiensis scripsit apud Surium Tom. 5. qui Luitprandi verba verbatim quoque recitat.

CAPVT XIV.

Mira per lanceam S. Mauritij patrata. Vbi etiam nonnulla de sacra Regni Hungarici Corona adducuntur.

DEcantat hæc versibus sensu, quàm modulo elegan-

Viterb. p. 19. tioribus Viterbiensis, quos adscribam; quia pium morem, imò plures pios mores & ritus aperiunt, inter quos & iste, lanceam hanc Imperatoribus, tanquam tutamen & adminiculum, in congressibus bellicis prælatam fuisse.

Lancea Mauritij reliquis præmaxima signis,
Plurima Christicolis peperit miracula dignis.
Clauus namque DEI *iunctus habetur ei.*
Subiicit Imperio bello gestata potentes,
Motibus ipsius nequeunt obsistere gentes,
Hac vbi bella mouet, vincere cuncta solet.
Lancea sancta solet regnorum vincere lites,
Ipsa facit proceres Romanos esse Quirites,
Ex hac Cæsar habet, quod sibi regna fauent.
Rex Arelatensis illam dum Boso teneret,
Et sibi pugnanti semper fortuna faueret,
Exstitit in digitis terror amara ferens.
Nunc liber expone, quo casu, qua ratione
Traditur Imperio post hac sacra lancea Romæ.

Postea narrat, quomodo Boso Rex Arelatensis simul cum Regno suo Lanceam S. Mauritij Othoni Magno tradiderit.

Lancea Mauritij mea quam tibi dextera tradit,
Est caput illorum, quæ nunc mea regna notaui.
Nunc caput Imperij Lancea sancta dabit.

Siffridus tamen Misnensis presbyter in Epitome sua lib. 1. Mauritij lanceam ad Henricum Aucupem peruenisse dicit, dono Regis Burgundiæ. Sed alij rectius Constantinianam lanceam nominant; vt iam ex Luitprando audiuimus. Etiam Sugerius Abbas lib. de rebus gestis Ludouici Crassi Regis Francorum, inter Imperij insignia lanceam S. Mauritij recenset. Rectè; hanc

hanc enim Othoni Magno Rex Arelatensis Boso donauerat, vt Viterbiensis testatur.

Obiicies lanceam S. Mauritij esse nunc Cracouiæ in primario Vrbis templo, vt scribit Cromerus lib. 3. de Rebus Polonicis, & Kranzius lib. 3. Vandaliæ, cap. 36. & quidem dono Othonis II. vt Kranzio placet, vel, vt Cromerus rectè sentit, Othonis III. Imp. cum Boleslaum Poloniæ tunc Ducem, titulo & honore regio exornaret. Non est igitur hæc lancea amplius inter Clinodia Imperij.

Respondeo, nos nulla necessitate cogi, vt credamus S. Mauritio vnicam tantummodo lanceam bellicam fuisse. Quapropter & Cracouiæ vna, & inter Imperij ornamenta, & sacra lipsana alia esse potest. Viterbiensis certè diu post Othonis. III. ætatem vixit; qui lanceam S. Mauritij inter Imperij insignia palam numerat, neque hoc ignorare potuit, quippe Friderici I. Imp. Cancellarius.

Deinde, quod aliàs sæpius, id hic quoque forsan euenit, vt lancea fabricata ad similitudinem Mauritianæ, & Reliquiis de lancea S. Mauritij decorata, pro primigenia Mauritiana haberetur.

De eadem Mauritiana lanceâ intelligendum videtur, quod Chronicon Reichersbergense refert ad Annum Redemptoris. M. IV. ait enim, post superatos Burgundos *ad insignia regalia lanceam clauo Dominicæ passionis insignitam,* additam fuisse. Sed errat, dum Henrico Bauaro Imperatori hoc attribuit, iam pridem enim Otho Magnus adiecerat hanc lanceam Regalibus Imperij.

Nec ad has quatuor lanceas spectat lancea illa Rudolphi Sueuorum Ducis, Henrico IV. in Imperio op-

positi. De quâ Abbas Vrspergensis. *Anno Domini 1079. iterum bellum fit inter Henricum & Rudolphum; vbi in primo congressu Saxones terga vertunt. Ibi Dux Bohemiæ Fratizlaus Regalem lanceam Rudolphi adeptus est: quæ exinde permissione Regis Henrici, semper quemuis illius gentis Ducatu insignem in omni festiuâ processione præcedit.*

Hanc lanceam non fuisse vnam ex Imperialibus, inde manifestum euadit, quia Imperialia insignia sua adhuc in potestate Henricus habebat; quæ non nisi post multos annos filio suo Successori coactus, tradidit. Erat ergò hæc lancea propria Rudolphi, quâ pugnans vti consueuerat. Quam, ceu eximium monumentum, quippe tanti viri armaturam, Dux Bohemus sibi vendicauit, & ob memorabilem victoriam per Henricum de Rudolpho relatam, sibi præportari voluit.

In pugna Othonis III. cum Romanis S. Bernvvardus Episcopus Hildesheimensis, exercitui lanceam sacram prætulit, vt in eius vita Tangmarus Presbyter scribit his verbis. *Palatini à beato Bernuuardo Episcopo salutaribus monitis instructi, confessione nihilominus purgati, sacro etiam viatico inter Missarum solennia muniti, contrà egredi & hostes impetere conantur. Bernuuardus Episcopus Dominicam hastam subiit, se quoque atque omnes viuificæ crucis munimine signat, benedictione publicè data, ac vitalibus monitis consolans, & corroborans signifer ipse cum sancta hasta in prima fronte aciei, egredi parat. Sequenti autem mane, Imperator cum suis post Missarum solemnia à venerabili Bernuuardo Sacramentis cœlestibus ac diuinis exhortationibus consolati aduersus hostes certamen instruunt, ipso Antistite cum hasta terribiliter fulminante, cordis verò instantia pacem ab Auctore pacis suppliciter flagitante. Vnde contigit deuoti mili-*

tis sui precibus exoratam pacifici Regis Christi mox adesse præsentiam, cuius & in natiuitatis ortu primum pacis gaudia nunciantur, & postmodum eiusdem pacis amatores, Euangelica veritate, filiorum Dei appellatione censentur. Ipsius itaque pietate, totius discordia rebellione sopita, hostes pacem poscunt, arma proiiciunt; in crastinum se ad Palatium venturos promittunt. Manè Dei clementia, adsunt; pacem petunt; Sacramenta innouant; fidem se Imperatori perpetuò seruaturos promittunt.

Incertum tamē est, num de lancea S. Mauritij Tangmarus loquatur, quandoquidem nihil speciatim exprimit.

Exstat quoque vexillum S. Mauritij apud Wilhelmum Malmesburiēsem, quod ab Hugone Rege Francorum ad Ethelstanum Regem Angliæ muneris loco missum dicitur.

Hactenus de sacris Cimeliis & Clinodiis S. R. Imperij disputatum sit.

Habuerunt quoque, & etiamnum habent, alia quoq; Regna, sua ornamenta Regalia, quibus in Regum suorum inauguratione seu coronatione vtebantur, & hoc etiam æuo vtuntur. Hungaris certè corona regia à S. Stephano accepta adeo sacrosancta est, vt cum aliquando amissa esset, ingens luctus omnes Regni incolas inuaserit; cumque in Austriam ad Fridericum Imp. peruenisset, Hungari non destiterunt repetere; & cum verbis nihil proficerēt, ad arma descenderunt: Austria, Stiria & Carinthia crudelem in modum deuastata. De qua re consuli possunt rerum Vngaricarum scriptores, præsertim Bonfinius.

Bis porro sacra Corona amissa est: primò cum Elizabethæ Reginæ dolo in Austriam venit. Secundò, cum Otho Dux Bauariæ, qui sacram coronam sua in potestate habebat, ad inaugurationem regalem properaret.

peraret. De quo festiuum quiddam memorat Turozius lib. 2. Chronicorum Hungariæ cap. 88. cuius verba apponam. *Cum sancta Corona per dictum Othonem Ducem* (Bauariæ) *ad Hungariam portaretur; propter timorem hostium fecit illam includi per artem tornatoriam in flasconem. Cum autem equitaret cum suis sub noctis silentio in stratâ publicâ, in quâ plurimi viatores transibant, casu de sella, corrigiis, quibus erat flasco ille ligatus, resolutis, quasi vas vinarium nullo vidente collapsus est. Postmodum verò luce clarescente, dum vidissent non adesse thesaurum illum pretiosum; quo citius potuerunt, timore perculsi, retrò concurrerunt, atque Coronam inter multos transeũtes in terrâ iacentem in medio publica strata inuentam à nemine, repererunt. Forsitan ceciderat in primâ vigiliâ noctis; reinuenta est autem sequenti die circa tempus non dubium Vespertinum. Mirum certè, & miraculum nôn tacendum. Quid enim per hoc, quod illa corona cecidit intelligo; nisi quia Dux ille vsque vitam suam portare non potuit hanc coronam? Sed amisit de capite coronam ipsam pariter & honorem.* (vtpote Regno pulsus) *Quid est, quòd à nullo inuenta; sed ab ipsis qui portabant, nisi quod ne Pannonia datâ sibi coronâ ab Angelo, priuaretur.* Hæc Turozius. Cum Vladislaus Polonus in Regem inaugurandus esset, neque tamen sacra corona in promptu esset, vtpote iam in Austriam absportata, ne quisquam absque aliqua S. Stephani coronâ Rex Hungariæ creari videretur; coronarunt Vladislaum illa coronâ, *quæ pro ornamento Reliquiarum capitis sancti Regis olim miro operis artificio præparata fuerat,* vt inquit Turozius. Asseruabatur olim sacra corona Wissengradi, in arce munitissima ad Danubium, infra Strigonium, de cuiᵘˢ custodia Rex Matthias hoc nomine primus Anno Domini 1464. in Comitiis Regni sic ad ordines verba fecit.

Quia

Quia nouimus nos, & nouerunt omnes Domini Prælati & Barones nostri, nouit etiam tota communitas regni, quomodo & qualiter propter indebitam custodiam & prouisionem sacræ coronæ, ipsa corona fuit ab hoc regno alienata, in cuius alienatione irrecuperabilia damna, & indicibilia spolia, & multas incommoditates hoc regnum passum est; & tandem post multos labores & fatigationes, & graues expensas, ipsa corona ex pecuniis communitatis regni nouissimè est redempta; Nos ergò volumus, & debemus de pari consensu & voluntate Dominorum Prælatorum, Baronum, & regni nostri nobilium hoc in loco prouidere circa debitam custodiam & conseruationem ipsius coronæ sacræ, locum aliàs consuetum, & personas ad id idoneas, ne (quod DEVS *auertat) ipsa corona iteratò ab hoc regno alienetur.* Hæc inuictissimus Rex Matthias.

CAPVT XV.

De ostensione multiplicium & pretiosissimarum Reliquiarum VVitteberga in Saxonia ante Lutheranismum.

OStensio Reliquiarum Norimbergensium, de qua suprà, cap. 6. monet me, vt aliquid dicam de ostensione Reliquiarum Wittebergensium in Templo Arcis, quod Rudolphus Senior, Dux Saxoniæ, condidit anno Redemptoris MCCCLIII. amplisq́ue prouentibus instruxit, vt & filius eius Rudolphus circa annum Domini MCCCLXI. Quorum vestigia secuti consequentes Saxoniæ Duces certatim de hac sacra Æde bene mereri institerunt, præsertim Fridericus co-

L gnomen-

gnomento Sapiens, Academiæ Wittebergensis magnanimus auctor, & munificus fundator, qui Templum hoc valde ampliatum & plurimis Sanctorum Lipsanis instructum, Academiæ possidendum & vtendum tradidit. Si quis enim sacrarum Reliquiarum diligens cultor & collector vnquam fuit, is Fridericus fuit; qui etiam à Sede Apostolica facultatem impetrauerat, vt vbicunque spes adipiscendi Reliquias affulgeret, liberè, quidquid offerebatur, accipere liceret. Ingens ergo Thesaurus collectus & in hoc templum illatus est, partim studio præcedentium Saxoniæ Principum, partim, & quidem potissimùm, cura Friderici Electoris, nec illatæ duntaxat, sed & pretiosissimis lipsanothecis decoratæ, vt videre est in libello Germanico, qui de his Reliquiis prodiit ex officina Wittebergensi Anno Domini M D I X. qui sacrum hunc thesaurum non tantùm stylo, sed & conditoriorum iconismis repræsentat. Incredibile dictu est, quàm multæ imagines, cruces, capsellæ, hierothecæ seu *Monstrantia* sacris ossibus refertæ, ex auro, argento, gemmis, vnionibus, margaritis, & ex aliis peregrinis materiis confectæ, hoc in Templo asseruatæ fuerint. At vbi nunc illæ tot & tantæ? Euanuerunt. Lutherana vorago deuorauit. Hæreseos voracissimus gurges hausit. Imagines exstant & visuntur in libro. At vbi sunt prototypa, quorum istæ imagines signa sunt?

Vt pietas populi erga has Reliquias conseruaretur, propagaretur & augeretur, constitutum erat, vt quotannis die lunæ, post Dominicam *Misericordiæ*, quæ est secunda Dominica post Festum Paschæ, Reliquiæ istæ, solenni ritu & apparatu, populo ostenderentur, & ad publicam venerationem exponerétur. Confluebat ad dictum diem ingens hominum multitudo, cui capiendæ vix

dæ vix Witteberga sufficiebat. Ostensio in octo missus (vt ita appellem, quod Germanis est, acht Gäng) diuidebatur.

Primo missu proferebantur hierothecę & effigies, quindenæ, in quibus sacrarum virginum & viduarum lipsana inerant. Et quod notatu dignum, primum locum tenebat vitrum S. Elisabethæ, receptaculum non spumantis Iacchi, sed plurium particularum de corpore & vestimentis eiusdem sanctæ Viduæ. Vitrum hoc fregit iam hæresis. Fortè substituit catechisticum poculum Lutheri, de quo mira in colloquiis Symposiacis. Fortè aliquid de Lutheri cuculla, sandaliis, Breuiario, chirothecis aut de capillis Catharinę Pornæ imposuit, sanctificationis & tutelæ gratia.

Secundo missu iterum prodibant quindecim preciosissima Reliquiaria, plena Reliquiis sanctarum Virginum, & in tertio quidem continebatur oleum S. Walpurgis Virginis: vt & in quarto, cui adiungebantur duæ particulæ de vestimento S. Walpurgis, de eiusdem sacris ossibus particulæ quinque, & tres dentes. Quæ omnia Elector proculdubio ab Episcopo Eystetensi impetrauerat.

Tertius missus sanctis confessorib. destinatus quindecim Lipsanothecis & iconibus exhibebat Reliquias Confessorum Christi. Et in tertio quidem Reliquiario, (Calix Græcus appellabatur) inerant quatuor particulæ de S. Sola Abbate, cuius vitam inuenies Tom. IV. Antiquæ Lectionis D. Canisij; de quo Ego etiam non pauca dixi libro 2. Obseruationum ad commentarium Philippi Episcopi de S. Willibaldo.

Quarto & quinto ordine promebantur Hierotheææ, quolibet quindenæ, plenæ Reliquiis SS. Martyrũ,

tametsi Reliquias confessorum etiam interspersas fuisse animaduerto: nam in secunda Hierotheca continebatur particula de S. Winnibaldo, seu Wunibaldo, qui fuit Abbas Heidenheimensis in Diœcesi Eystettensi, frater S. Willibaldi. In quinta hierotheca monstrabātur XCVI. particulæ de Legione Thebæorum. Et duo integra ossa ex eadem sodalitate. Integrum insuper os S. Mallusij vnius ex Thebæa Legione. præterea integrum caput & gladius de sodalitio S. Mauritij. In alia Monstrantia eiusdem missus ostendebantur os, notabilis quantitatis de S. Mauritij legione. XVI. particulæ de ossibus Martyrum ex eadem legione. Particula de vexillo S. Mauritij. Item de lancea S. Mauritij. Particula de lorica eiusdem. von seinem Wappenrock/ vna particula. De manu eiusdem similiter vna, vt & de scapula. De maxilla duæ particulæ. Dens eiusdem. De capite particula. De ossibus viginti sex particulæ. Et hæc omnia inclusa erant argenteo pomo, cuius circuli, aurei. Vides, quanta in veneratione fuerint ad Albim Reliquiæ S. Mauritij & sociorum, nec dubito Magdeburgum, S. Mauritij peculiare domiciliū multa huius generis sacra Cimelia Witebergæ subministrasse.

Sexto missu procedebant Reliquiæ Apostolorum & Euangelistarum, omnes magni pretij Reliquiariis inclusæ.

Septimus missus exhibebat potissimum Lipsana de S. Anna, de B. Virgine, de Christo Redemptore nostro, ex iis tamen, quæ passionem antecesserunt, & sanctitatem vsu vel contactu Christi contraxerunt.

Octauus missus repræsentabat ea, quæ Passione & Resurrectione Domini nostri sanctificata fuēre, in quibus

bus erant plurimæ particulæ de sancta Cruce. Decima inter Hierothecas erat crux aurea mirifico artificio effecta, in qua XXV. partes de sancta Cruce exstabant.

Sed, ô Hieremia; *quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus; dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum?* Vbi nunc prisca illa pietas? Vbi diuini cultus assidua celebratio, & frequẽtatio? Vbi densissimus populi ad sacrarum Reliquiarum venerationem accursus? Vbi tot illa pretiosissima Cimelia? Quid dicam, nisi illud Hieremiæ? *Columnas æreas, quæ erant in domo Domini, & bases, & mare æreum, quod erat in domo domini, confregerunt Chaldæi, & tulerunt omne æs eorum in Babylonem, Et lebetes & creagras, & psalteria & phialas & mortariola, & omnia vasa ærea, quæ in ministerio fuerant, tulerunt, & hydrias, & thymiamateria, & vrceos & pelues, & candelabra, & mortaria, & cyathos, quotquot aurea, aurea; quotquot argentea, argentea tulit magister militiæ* Hæreticæ Lutherus. Thren. 2. Hiere cap. vlt.

Cæterum sacrarum Reliquiarum publicę & solennes ostensiones, (quas vno vocabulo *Lipsanodixes* vocare licebit) alibi quoque vsitatę fuerunt, & hodie iisdem vsitantur, iis in locis, quæ ab hæresi intacta manserunt; Hinc Aquisgrani, vt & Bambergæ, quouis septennio pretiosissimæ Reliquiæ populo variis ex regionibus congregato, ad cultum & venerationem exponuntur, quod itidem fit quotannis pridie Ascensionis Dominicæ in *Monte sancto Andex* Bauariæ, multis millibus eò pietatis caussa confluentibus. Idem mos alibi vel ab antiquo obtinet, vel laudabili consilio nuper introductus est: quò enim magis, Diuorum Reliquias Hæresis incessit, eò magis conuenit, vt Orthodoxi con-

trà nitantur, & gloriam earum non modò conseruent, sed & propagent.

Porrò cum hoc ipso tempore Luthericolæ Iubilæum seu centesimum annum sui Euangelij à Luthero Witebergæ procusi celebrent, non abs re facerent, si veterem consuetudinem instaurarent, & solennem post Dominicam *Misericordia* Lipsanodixin seu Reliquiarum ostensionem indicerent, datis in omnes Christiani orbis partes literis ad tantum spectaculum inuitatricibus: Nec caussari possunt, sibi nullas amplius Reliquias suppetere, priscas enim illas olim mõstrari solitas iam interiisse; nam vt hoc ita sit, ignorare tamen nequeunt, quam si nõ Pontificiis, alterius profectò generis Reliquiis copiosè instructi sint, nam Lutherus in Explicatione secundi Articuli nostræ fidei Anno 1533. Tom. 6. Ien. disertè docet, *omnia Christianorum* (Lutheranorum) *sepulchra esse reliquias, & vbi Christianus* (qui fide Lutherana imbutus hinc excessit) sepultus est, ibi sepultum esse **ein leiblichen Heiligen**/ *verissimum & merissimum Sanctum, & Christum hominem mundum implere & superimplere reliquiis, ita vt etiam mors, tumulus, patibulum, gladius, ignis, aqua, efficiantur reliquiæ.* Et ne satis clarè copiam Reliquiarum, quibus gens Luherica abundat, proposuisse videretur, hæc radiis solaribus clariora subiungit. *Vbicunque Christianus sepultus est, ibi profectò verus sanctus est, ipsumq; etiam locum sanctificat, siue sit consecratus, siue non.* **Ja ob es gleich auff der Schindleich/ oder vnder dem Rabenstein were:** *licet esset locus excoriandis brutorum cadaueribus, aut decollandis hominibus deputatus.*

En Lutheranarum Reliquiarum cornu copiæ, omnis enim Christianus Lutheri in disciplina & fide defunctus sepultusque sacrum quoddam lipsanon est. Fur Lutheranus pendens in furca, Latro Lutheranus rotæ illigatus: veneficus seu magus Lutheranus ad stipitem alligatus, vt comburatur, sacris Reliquiis annumerari debet, vt & ipsa furca, rota, stipes, & laqueus, qui furi gulam elisit.

Non est ergo, quòd Logoduli Witebergenses ob penuriam reliquiarum Lipsanodixin defugiant aut detrectent; cum integra cœmeteria, integras furcas, integras rotas, laqueos innumeros, cadauera ex rotis & patibulis infinita, ad iubilarium hoc spectaculum producere queant. Qua sanè felicitate & vbertate Pontificios longissimè superant.

Nec est, quod oggerant, has Reliquias vbique reperiri, ac proinde opus non esse, vt earum visendarum gratia Wittebergam curratur, prout etiam Lutherus dicit, non esse amplius necesse, vt quis Compostellam ad S. Iacobum, aut Romam ad Limina Apostolorum, aut Hierosolymam ad sepulchrum Christi abeat, domi enim suæ & in patria, cuique satis Reliquiarum suppetere: nam vt hoc, iudice Luthero, ita se habeat, nullus tamen seriò & feruenter Lutheranus, tam incuriosus est, vt non magis optet contemplari Lutheranæ Metropoleos Reliquias & Reliquiaria, & magnorum illorum Quinti Euangelij architectorum conditoria, & mnemosyna, sepulchra scilicet, imagines, cathedras,

sche-

scholas, vestes, vitra, cochlearia, sandalia, caligas, subligacula, cappas, togas, sellas, & id genus alia; quàm vulgarium hominum busta & ossa, & si quid aliud de illis reliquum est, vt de Sartore acus, de Sutore Subula, de fabro ferrario, malleus; de fure suspenso, furca, &c. Illi enim Euãgelij Lutherani primitias nacti sanctitatem copiosissimè imbiberũt; & ad omnia, quæ vel solo tactu vel aspectu dignabantur, largiter transfuderunt. Quapropter plusquam probabile, imò certum est, si Prædicantes Wittenbergici talium Reliquiarum solennem ostensionem publicè indicant, & transmissis varias in partes Wittebergicis Bullis promulgent, innumeram Lutherizantium, fors & Caluinizantium turbam aduolaturam, præsertim si accedat plenaria Indulgentia, hoc est, perfecta remissio omnium debitorum, non apud Deum, sed apud homines, hoc est, debitorum forensium & ciuilium, cuius relaxationis plerique vt egentissimi sunt; ita & cupientissimi erunt.

Nihil igitur restat, nisi vt Wittebergici *Verbifices* thesaurum suum liberaliter aperiant; & inde tam grata theamata & charismata munificè depromant; tunc enim Luthericolæ & Caluinisequæ iubilando etiam venas rumpent, iubilisque suis celsissimum æthera ferient, & fortassis quoque tremefacient, vt Iuppiter nutu suo Olympum, maximè si prædicantes & prædicantissæ peregrinis pedes lauent, curentque, vt in Lutheri cœnobio, saltem per triduum, amicè habeantur, & hospitaliter Esculentis & poculentis refocillentur; vt sic in iubilationem ora sua promptius & vocalius resoluant, & quidquid iubilorum vspiam est, sonora harmonia decantent.

CAPVT XVI.

De Rosea Crucis noua Fraternitate.

SAnctæ Crucis amor me impellit; vt eius honorem ab iniuria vindicem. Exstitit ante pauculos annos noua *Fraternitas*, quæ speciosissimam *Roseæ Crucis* appellationem sibi indidit, de qua singuli mercatus Francofordienses tam vernales, quàm autumnales, partim Germanicos, partim latinos libellos effundunt, quorũ alij hanc *Fraternitatem*, ceu diuinum institutum, defendunt, & summis laudibus efferunt; alij, vt colluuiem hominum perditorum & perniciosorum insectantur & detestantur.

Et quidem si ex ipsis Fratribus sciscìteris, quales ipsi sint, & qualis ea, quam profitentur, Fraternitas, grandibus tibiis suas laudes demodulantur. Vocant enim se **Rosencreutzbrüder**/ *Roseæ crucis fratres*, **deß Rosenfarben Creutzbrüder**/ *purpureæ crucis fratres*. Quid pulchrius, quidq; speciosius his appellationibus à *Rosea*, hoc est, Christi sanguine purpurata Cruce desumptis? Addunt, se *his nouissimis temporibus à Deo excitatos, vt totum mundum reforment*; *Rempublicam Christianam reparẽt*, *scientias omnes instaurent ac perficiant, præcipuè Medicinam, quæ in curandis morbis, & proroganda vita occupatur*. Ipsam verò coitionem suam appellant in *Fortalitio scientiæ*, quod Germanica lingua euulgarunt, **ein glorwürdige/ hocherleuchte/ selige/ Gottliebende/ ehr vnd lobwürdige Bruderschafft**/ hoc est, *gloriosam, illuminatissimam, beatam, Dei amantem honore & laude dignam Fraternitatem:*

quin *Ordinem* quoq; vocant, imò *benedictum Ordinem*; Quare quidam ex eorum grege in *Rosa Florescente* contra Menapium nominat se *Florentinum de Valentia Ordinis benedicti minimum clientem*, qui, prædicti Menapij temerarias calumnias (vt ipse appellat) **wider die Rosencreutzische** Societet, refellere nititur.

Alius, qui se commentitio nomine *Vitum de capite bonæ spei* indigitat, chartulam edidit hoc titulo: *Crux absq; cruce*, hoc est, **wolmeynte** Defension **deren** inter mundi calumnias **blühenden teutschē Gesellschafft** *ad S. Sanctum*, **genant vom Rosencreutz**. Præfigitur eiusmodi Epigramma.

Sunt Fratres Roseæ certè Crucis optima turba,
Sunt & magnifici grandiloquiq; viri.
Tractant ingenuè Sophian, omnemq; nouenam,
Artem, Theologos hi Medicosq; docent.
Ergo, precor, viuat tam clara caterua beatè,
Et iuuet innumeras innumerosq; viros.

Publicarunt ijdem partiarij *Famam* suam & *Cōfessionem*, vbi sine dubio encómia sua sonoris & canoris fistulis decantant, non enim duo isti libelli ad manus meas deuenerunt. Sparsit in vulgus Georgius Moltherus, Medicus Wetzlariensis, de quodam *Roseæ Crucis Fratre* Wetzlariam delato *Relationem*, in qua sanè pangendis horum Fratrum encomijs largus est & copiosus, ita vt & ipse ad hunc cœtum sese aggregasse, aut propediem aggregaturus vdieatur.

Aliorum longè alia est de his Fratribus sententia. Longè diuersa promunt canuntq; elogia, non absterriti *Roseæ Crucis* speciosissimo vocabulo; *Ad me quod attinet*, inquit Menapius in Epistola ex Agro Norico, Anno salutis M. DC. XVII. ad istos Fratres data,

de

de vobis vtiq; laudabiliter ſtatuere non poſſum; nam, quod ab initio arbitratus ſum, *ſi non manipulus otioſorum hominum eſtis, qui ἀδόξως καὶ ἀπόρως ὑποθέσεις tractantes, & typographorum opera abutentes nequitia ſimpliciores ludificandi & naſo ſuſpendendi phantaſticis veſtris ſcriptis veteratoriè laboratis, certè vel recens exortum genus ſtellionum ac verberonum, vel nigromanticos Teſſalos, & Chaldæos oculorum præſtrictores, vel aliquos incarnatos Diabolos, qui impoßibilia humano ingenio præſtare doloſè ſatagitis, vos eſſe oportet.* Hæc & plura eiuſdem generis in horum fratrum laudem Menapius. Nec inficiari poterit, quiſquis eorum ſcripta propius inſpexerit & penitius perpenderit, eos eſſe turbam quandam ex Magis, Paracelſiſtis, Alchymiſtis, Stibiarijs, Anabaptiſtis, Svvenckfeldianis, & fanaticis Enthuſiaſtis, ijſq; arrogantiſſimis conflatam.

Magiam teſtatur Wetzlarienſis illius Fraterculi factum, qui neglectiſſimis & abiectiſſimis herbulis omnium morborum vel curationem vel leuationem pollicebatur; qui neſcio cuius herbulæ adminiculo ſe tonitrua compeſcere, radicularumq; ſuffitu eos, quorũ præſentia offendebatur, hypocaſto exigere & effumigare poſſe. Quæ proxima præterita nocte in remotiore quodam oppido patrata fuerant, *enarrabat*, vt inquit Moltherus; quin & hoc addebat, *etiamſi conſignarent, quæ diceret, illos tamen, ipſo nolente, nihil eorum cognituros*; *Artem murium ex ædibus Scutica expellendorum, & talparum ex fundis eliminandorum, & ſerpentem album, theſaurosq; abſconditos acquirendi & inueniendi profeſſus eſt, vt & peritiam ſtramen & alia cremabilia ab ignis raptu defendendi qui etiam ſciebat, quæ alij alibi de inſidijs ipſi ſtruendis collocuti fuerant*; Quapropter hoſpiti aiebat: *ſibi iam antea conſtare, ad quid interrogandum ſubornatus eſſet.*

Hæc & alia huius classis, quæ tota illa Relatione cōmemorantur, an non Magicæ imposturæ manifesta indicia sunt, quippe cum naturæ humanæ insitam vim & facultatem longè excedant? Et vt tales agyrtas efficacitate diuina hæc talia præstare credamus, obstant cum alia, tum vita hæreseos, arrogantiæ, & hypocriseos plenissima. *Qui faciunt & exhibent, quæ in nulla philosophia fundamentum habent*, inquit Menapius, *cacomagi sunt; at in nulla philosophia fundamentum habet quod quidam ex vestro Ordine coram Medico VVetzlariensi se præstare velle suscepit, vt mures adium congregarentur, quos postmodum iucundo spectaculo cateruatim expelleret*, & quidem Seutica. Nullam quoq; in vlla Philosophia locum habet, vt quis qualibet herbula quemlibet morbum, etiam desperatissimum vel curet vel leniat, & quid absentes de se loquantur vel statuant, cognoscat.

Porro eosdem Fratres esse *Paracelsistas*, seu *TheophrastICOS*, inde liquet, quod eundem fermè medicandi modum teneant; nec abhorrere videantur ab illo facto Paracelsi, (quem Menapius siue Caluinista, siue Lutheranus merito appellat *mancipium & cloacam Satanæ*) *cum Basileæ publicè in publica prælectione docuit, Christiano homini, illæsa pietate, citraq; debiti erga Deum cultus maculam, Dæmonis, tanquam latronis, ope, opera & consilio vti permissum esse*, addita disputatione de *incantationibus & magicis morborum exorcismis*: quod cum nonnulli ægrè ferrent; occinuit:

Flectere si nequeo superos, Acheronta mouebo.

Quanquam Auctor *Fortalitij scientiæ* Paracelsum & alios quosdam, pro *semifratribus* tantùm agnoscat; cum eos potius deberet pro *sesquifratribus* habere & dilaudare; sed quia se omnibus, quotquot hactenus exstitere,

ante-

anteponunt; haud possunt *Hermetem, Gebrum, Lullum, Arnoldum Villanouanum, Paracelsum*, & similes in plenam & perfectam fraternitatem admittere, cum vix tirones fuerint respectu horum fratrum, quos nullum *scibile* fugit, quorum Auctor, vt ipsi prædicant, æquè ac Adamus, omnium rerum scientiâ infusâ valuit.

Alchymistas & Stibiarios loquuntur omnia Fratrum istorum opuscula. Imò in *Fortality* vestibulo asseritur; *minimam Fraternitatis huius scientiam semper fuisse auri & lapidis Philosophici effectionem.* Beatos istos, qui auri & argenti cumulis non tantum quoslibet priuatos, sed & integras Respublicas ac Principes locupletare possunt. At iam olim ex veridica quadam cortina prodijt hoc oraculum: *Spondent pauperes Alchimistæ, quas non exhibent, opes,* & Menapius in Germanica Epistola ad istos φράτωρας, palam affirmat, cœtus huius sectatores nihil aliud esse, quàm egentissima mendicabula, arme/ blosse/ hungerige Schrepler/ Bettler/ Schelmē vnd Landstörtzer. Cur ergo sibimet ipsi saltem tantillum auri & argenti non procudunt, quantum satis est ne cogantur mendicare vel furari? Cur per varias orbis partes circũ volitando malunt alios grauare, quàm molestia subleuare vel etiam ditare, siquidem illis auri procreandi tam prompta facultas suppetit.

Et quia circumcursationis meminimus, audi quid Menapius scribat: *Impostorum est, perpetuò à loco ad locum vagari, huc illuc oberrare, nam primum argumentum lubricæ & incompositæ mentis agriq; animi est, non posse consistere & secum morari. Impostorum est, nec patriam, nec nomina profiteri, nam hominum lucifugarum nulliusq; Reipublicæ ciuium est, se abnegare, & natale solum abscondere.*

Anabaptiſtico, Schvvenfeldiano & Enthuſiaſtico alaſtore repletos eſſe, arguit ſuauiſſima illa deliratio, qua ſibi perſuadent, ſe ſolos in terris degere, quibus tam ad terreſtria, quàm ad cæleſtia moderanda & reformanda aditus pateat. Quocirca blandiuntur ſibi, quaſi iam primùm viam perueniendi ad Deum inuenerint. quam ſibi oſtendi & pandi multis precibus optat neſcio quis fanaticus & phantaſticus Somniator in Epiſtola ad iſtam Fraternitatem, quæ Relationi Moltherianę adiuncta eſt. Mirum dictu, cum à Deo quàm longiſſimè receſſerunt, ad Cacodæmonem verò penitus acceſſerunt, tum ſe quaſi iam ad ſummum beatitudinis culmen euectos, mirificè circumſpiciunt, & alios, quaſi adhuc humi reptantes nec tanta felicitate cumulatos deſpiciunt. Interim ſcripturas ſonant & tonant. Sed qua ratione? *Scripturas*, inquit Menapius, *dato ſtudio impertinenter, & veluti per ludibrium, ſiue id ϖφιςικῶς, ſiue συκοφαντικῶς fiat, allegare, non ſolum defectus eſt nebulonis ſcelerati & athei, verumetiam vitium hominis, peſſimè inſtituti & morati*: qui nullam ſcientiam hactenus rectè traditam aiunt, ac proinde omnes ab iſta Fraternitate reformari debere: *Sed impoſtorum eſt*, ait rectè Menapius, *affirmare contra omnes omnium diſciplinarum & artium Magiſtros, nullam ſcientiam hactenus rectè eſſe traditam, nec tamen melius quid proferre, & errantes in viam regiam reducere*, &c. *Quæ hæ illepidæ nugæ, & naniæ ruris pleniſſimæ ſunt, bona ſtudia, anteactis ſeculis, denſiſſimâ quadam caligine animis hominum offuſa, vſq; ad annum Chriſti M. DC. XV. ſepulta iacuiſſe, nullamq; artem & diſciplinam eſſe, diuinam, naturalem, artificialem, & humanam, quæ veſtra reformatione non indigeat? Vani profectò eſt illud narrare, ſtulti, credere. Etenim ſi non vappæ, non flagriones*

compi-

compitalitij estis, dicite mihi quid vel architectonica nostro æuo desit? &c. Et post varias scientias enumeratas subiungit: *Eò minus ferendum est, vos vt veterum inuenta ex manibus excutiatis, & vestras ab ipsa natura abhorrentes opiniones obtrudatis, cupidissimè contendere atq; moliri*, &c. *Tantum abest, vt quis æquo animo pati possit, vos Aristotelem, Hipocratem & Galenum floccifacere*, &c. qui in ceteris etiam Reipublicæ & politicæ administrationis emendationem & reformationem pollicentur; quæ, vt se dant omnia indicia, alia futura non esset, si quando ad rem conferretur, quàm Anabaptistica & Münzeriana. Qualis autem hæc fuerit, heu nimis grandi malo suo didicit Germania; Et si sapit, iterum ne discat, sed Reformatoribus istis aditum occludat, vt in latibulis, quibus hucusq; se continuerunt obsolescant, imò & computrescant; qui rogati, cur in publicum theatrum non prodeant, respondere solent: *Tempus prodeundi nondum aduenisse: prodituros se suo tempore*. At quando orietur istud tempus? Forsitan tunc, cum se assectarum multitudine ita stipatos & roboratos viderint, vt omnibus iam terrori esse possint. Quod ipsissimum tempus, etiam Anabaptistis, præcipuè Münsterianis in Westphalia, & Monetarijs in Thuringia, & agresti rusticorum turbæ in Germania, tempus in apertum prodeundi fuit.

Auertat Deus istos Reformatores *Roseæ Crucis* pulcherrimo titulo insignitos, sed ad eum prorsus modũ, quo Diabolus candida luce insignitur, si quando in Angelum lucis se transformat. Tolle splendorem illum lucis, quid remanebit? Diabolus: nam breuius & significantius hoc exprimere nequeo. Tolle *Roseam Crucem*, quid restabit? Factio circulatorũ, qualem iam,

supra

ſupra depinxit Menapius. Secta agyrtarum & circumforaneorum, quorum ars eſt ingentia polliceri, & pollicitis nunquam ſtare. Deniq; colluuies fanaticorum Somniatorum, qui præſtigijs dementati & occœcati, ſummam inſipientiam, qua tenentur, pro ſumma ſapientia venditant, facilemq; ad Deum acceſſum alijs promittunt, cum ipſi longè plus à Deo diſtent, quàm ſupremum cælum à centro terræ.

Sed valeant iſti cum ſuis offucijs. Tu *Roſea* Crux ſalue, & aue, quæ *Roſea* verè diceris, tum quia pretioſiſſimam mundi *Roſam* tuliſti; tum quia Rosæ huius purpureo ſanguine ruſſata es. At quod Roſeo tuo nomine & amicimine ſeſe velat & veſtit improbitas, id ſplendorem tuum non plus minuit vel obfuſcat, quàm fulgor lucis minuatur vel obſcuretur, quando malus genius nequitiæ ſuæ velamentum inde componit, vt lateat, & ſub imagine lucis in tenebras denſiſſimas inducat. Hæc de iſta Roſeæ Crucis Fraternitate hoc loco dicenda putaui, ne quis audita tam ſpecioſa appellatione, fallatur, credatq; bonis & laude dignis ſodalitijs accenſendum eſſe, quod non niſi impijs & ſacrilegis coitionibus deputari debet.

CAPVT XVII.

Recognitio duorum locorum ex Opere de S. Cruce.

EX his, quæ in hoc opuſculo de lancea Dominica differuimus, reformandus eſt vnus vel alter locus Operis de S. Cruce ex edit. Ingolſt, Anno 1616. Itaq; Tomo 1. de S. Cruce lib. 1. cap. 96. column. 314. v. 27.

poſt

post voculam; *vulnerato*; dele omnia: vsq; ad voculam, *coëgit* column. 315. v. 20.

Tom. 3. lib. 1. column. 1852. v. 23. *Quæritur, quæ fuerit hæc lancea.* Adde; Respondeo, fuisse illam, qua latus Domini in Cruce apertum est, non quidem totam, sed cuspidem ferri, quæ nomen totius lanceæ per Synechdochen obtinuit, vt probauimus in Syntagmate de Insignibus & Regalibus S. R. Imperij; tametsi non abnuimus in ijsdem sacris Cimelijs asseruatas itidem esse lanceam Constantini Magni, lanceam S. Mauricij, & lanceam Caroli Magni, vt in eodem Commentariolo abundè demonstratum est.

Cætera omnia column. 1852. v. 23. à verbis: *& sunt, qui putent*, &c. deleantur, vsq; ad illa verba: *Satis de lancea*, v. 42. colum. 1854.

Additiones pro Diuis Tutelaribus Eystadianis.

Pag. 202. vers. vlt. *subticeat.* Poterat tamen Balæus pro suo Samsone producere Epistolam Zachariæ Pontificis, quæ est inter editas CXL. vbi Samsonis laudes hunc in modum celebrantur. *Scripsit reuerenda fraternitas tua reperisse quendam presbyterum, genere Scotum, nomine Sampson, errantem à via veritatis, dicentem & affirmantem, sine mysterica inuocatione, aut lauacro regenerationis posse fieri catholicum Christianum, per Episcopalis manus impositionem. Hic autem qui dicit, vacuus est Spiritu sancto, & alienus à gratia Christi, atq; à consortio Sacerdotali abijciendus*, &c. *Hunc nequissimum virum talia prædicantem, ab Ecclesia sancta Dei condemnatum expelle.* Hæc Samsonis præconia longè aliter tinniunt, quàm

quæ eidem Balæus pangit, qui ex Epiſtola inter Bonifacianas 139. poterat eiuſdem claſſis & ſortis aduerſarium Bonifacij adijcere, nempe Godſchalcum, ſeu, vt habent edita exemplaria, Godalſacium: de Godſchalco tamen nihil ſpeciatim actum eſt in Synodo Romana, quæ exſtat apud Othlonum lib. 2. de vita S. Bonifacij cap. 5.

Pag. 166. verſ. 4. *familijs.* Quanquam Marianus ad annum Redemptoris 717. Bonifacij natale ſolum Angliam ſtatuit iſtis verbis: *His temporibus VVinfridus, qui poſtea cum Epiſcopus ordinaretur, Bonifacij nomen accepit, doctor Catholicus, natione Angelus, primum Romam, deinde cum auctoritate Gregorij Papæ in Franciam ad prædicandum verbum Dei venit.* Legerat etiam Marianus Epiſtolam Zachariæ Pontificis ad S. Bonifacium, quæ eſt inter editas à Sarario 140. in qua diſertè ſcribitur, Bonifaciũ fuiſſe *natum & nutritum* in tranſmarina Saxonia de gẽte Anglorum. Legiſſe Marianum hanc Epiſtolam inde liquet, quia citat illam ad annum Domini 743. Itaq; quod hoc ipſo anno, & anno 741. *Scotus* appellatur, id non à Mariani, ſed ab alterius manu profectum videtur; nam quædam Mariani Chronico ſuperaddita fuiſſe, teſtantur illi, qui calamo exaratos Chronici illius Codices paulò vetuſtiores inſpexerunt.

Pag. 212. v. 23. *VVillibald.* Adde. Hanc Epiſtolam ex Synodo prędicta miſſam eſſe ad Regem Ethilbaldũ, docet S. Bonifacius Epiſt. 10. ad Herifridum Presbyterum vbi iſta leguntur. *Præterea nos octo Epiſcopi, quorum nomina ſubter annotauimus, in communi te, frater chariſſime, deprecamur,* &c, Sed vitio librariorum nulla nomina Epiſcoporum ad calcem Epiſtolæ apparent. Et in titulo Epiſt. 19. ad Ethibaldum Regem Merciorum

non octo, sed tantum sex Episcopi nominantur, vt admodum verisimile fiat, id culpa exscriptorum accidisse.

Pag. 212. v. 3. *habita est.* Adde. licet alij magis inclinent in Moguntiam; quia Carolomannus initio Synodi, (cuius fragmentum exstat apud Othlonum lib. 1. de vita S. Bonifacij cap. 42. & inter Bonifacianas Epistolas post Epist. 78.) profitetur se sui Regni Episcopos ad Synodum conuocasse; credibile ergo est in loco etiam sui Regni congregasse; qualis non erat Ratisbona, quæ Odilonis Boiorum Ducis imperio tenebatur. Hinc cum & Aystadium extra fines Regni Carolomannici esset, arbitrantur isti, *VVillibaldi* nomen ab imperito quopiam intrusum esse. Quod creditu non est procliue propter manuscripta exemplaria Othloni & Epistolarum Bonifacianarum, quæ nomen *VVillibaldi* concorditer repræsentant. Illud contra Ratisbonam efficacius est; quia si Ratisbonæ hæc Synodus celebrata fuisset, interfuisset vtiq; Episcopus Ratisbonensis, qui tum Gubaldus seu Garibaldus erat, vnà cum reliquis Boicę Antistitibus. Lector arbitratu suo eligat siue hoc, siue illud, siue aliud; quia res incerta est, & longinqui æui tenebris inuoluta. Quis euoluet ita vt liquidò liqueat?

Pag 214. v. 23. *properauit.* Quod de chronologia Epistolæ S. Bonifacij ad Zachariam Papam, & de Epistola Zachariæ ad S. Bonifacium scripsimus, id scripsimus Baronium secuti. Alij reijciunt has Epistolas ad annum Domini DCCXLIII. vt & Synodum à Carolomanno indictam. Lis spinosior est, (vt frequenter in Chronologicis accidit,) quàm vtilior. Indictio vndecima, qua signatur Epistola Zachariæ, fauet qui-

dem huic opinioni. Sed Baronius mendum irrepsisse, & pro vndecima decimam Indictionem substitui debere non improbabilibus argumentis demonstrat.

Pag. 199. v. 20. *& VVillibaldi.* Adde. In antiquis monumentis variè appellatur Witta; nempe *VVitto, VVittanus, VVizo*, Latinè Albuinus seu Albinus, nam quod nobis est, wiß seu weiß/ hoc Anglis est, Witt, *album*; quem Scotum, hoc est, Hibernum fuisse aiunt. nec abnuit Othlonus; quia licet à S. Bonifacio ex Anglia euocatus fuerit, id tamen non obstat, quia eo tempore multi Hiberni in Anglia, & multi Angli in Hibernia degebant, vt ex Beda & aliunde constat.

Gregorius, cuius idem Othlonus mentionem facit, longè diuersus est ab illo, de quo Ludgerus in commentario rerum gestarum S. Bonifacij & ipsius etiam Gregorij, hunc enim *de nobili Francorum stirpe progenitum esse*, prima statim modò nominati Commentarij verba ostendunt.

Pag. 269. v. 14. *requirit.* Adde: Respondeo, constitutiones Apostolicæ Clementis Romani lib. 2. cap. 1. disertè præcipiunt, vt qui ad Episcopatus honorem euehitur, *non sit minor natu quàm annorum quinquaginta, quòd ea ætas quodammodo iam iuueniles petulantias, & eorum, qui foris sunt obtrectationes effugerit.* Paulò post subditur. *Sit eruditus, vsu sermonis exercitatus, ætate inclinante.* Vide Francisci Turriani explanationem defensoriam in hunc ipsum Clementis locum. Hodie tamen, communi iure & more ætas triginta annorum ad Episcopi dignitatem sufficit.

Pag. 301. vers. vlt. *incompertū est.* Adde: Nisi quod lib. 2. Antiquit. Fuldensium cap. 8. Brovverus noster scribit, constare S. Solam translatum esse Fuldam, nec

explicat

explicat vnde hoc constet; aut num ante Lutheranam hæresin, quæ B. Solæ Cellam occupauit, translatio ista facta sit. In Additionibus quoq; ad eiusdem libri idem caput, dicit; Anno Salutis M D C X I I I. apertam esse tumbam S. Solæ *cuius exigua portio*, vt ait, *se obtulit, sociata aliorum patronorum ossibus.* Ex quo coniectare licet, non totum corpus S. Solæ Fuldam ex Solenhoffio venisse, nisi fortè temporis successu, vt fieri solet pietas hunc thesaurum particulatim ad varia loca transtulerit; nam & Wittebergæ, cum priscus honos religioni staret, quatuor particulæ de S. Sola asseruabantur, & colebantur.

Pag. 305. v. 7. *colendo.* Adde: An Katoldus seu Cataldus est ille, cuius anniuersariam memoriam Martyrologium Romanum signat X. die Maij? qui Tarentinorum in Calabria olim Episcopus, nunc primarius patronus est, natione Hibernus. Hoc constat, ante & post aduentum S. Willibaldi, in Germaniam plures sanctimonia vitæ celebratos Christianæ fidei doctores cum S. Kiliano Martyre & Apostolo Franconiæ ex Hibernia profectos, illustrasse Euangelij luce loca Eystadio confinia; Et multo adhuc plures Socios Hibernorum S. Ruperti & S. Virgilij, Episcoporum Salisburgensium, & alios S. Erhardi & S. Alberti, (qui Ratisbonæ requiescunt) omnes ferè angulos Bauariæ & Norici miraculis, vitæ exemplo, & verbo Dei repleuisse, ex quorum numero vnus fortassis Katoldus iste Eystadiensis fuit, nisi quis malit eum accensere primis indigenis Monasterij, quod in Eystettensi suburbio Scotis seu Hibernis iam olim exædificatum est.

Ibid. vers. 11. D C C C L X X X I I. Adde. Ita quidem Hundius in Metropoli. Sed aut error irrepsit in

numerum; aut diploma ad Carolum Magnum non spectat; cum certò compertum sit, Carolum Magnum Anno Redéptoris DCCCXIV. diem supremũ obijsse. Credibilius est pertinere ad Carolum Crassum, qui anno Domini DCCCLXXXII. secundum in Imperio annum agebat; nisi quis extrito vnico centenarij signo diploma hoc reuocet ad annum Christi DCCLXXXII. quo tempore iam in Francia regnabat Carolus Magnus. Sed primum mihi verisimilius apparet.

Pag. 292. v. 27. *apponam.* Hic tamen tacitus prætерire nequeo inscitiam Ioannis Creccelij, ex Monacho Augustiniano Lutherani Spermologi, qui in libro suo de varijs Ordinibus pag. 29. scribit, ex Reliquijs Willibaldi Episcopi Eystettensis *manasse sacrum liquorem, malè habentibus salutiferum.* Vbi Apostata miraculum, quod est sororis Walpurgæ, transfert inscienter ad S. Willibaldum, sine vllo vllius Auctoris testimonio.

Pag. 408. v. 20. *Anonymus.* Adde: Profert Brovverus noster lib. 2. Antiquit. Fuldensium cap. 12. veterem quandam inscriptionem ad Altinum pertinentem, quæ est ista. *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXIX. Indictione XII. mense Ianuarij XVI. Kalend. Febr. dedicatũ est hoc templum ab Altuino Episcopo Eihstatiensis Ecclesiæ in honorem S. Saluatoris Domini videlicet nostri IESV Christi, & S. Dei Genitricis Mariæ, & S. Ioannis Bapistæ, & S. Petri Apostoli & cæterorum Apostolorum Domini, & S. Bonifacij Martyris Christi, & aliorum plurium Martyrum, Confessorum & SS. Virginum.* Hactenus inscriptio, quam refert Brovverus ad ipsum S. Solæ domicilium. In numerum tamen irrepsit mendum; nam Anno Christi 819. Altinus seu Altuinus cathedram Willibaldinam necdum obtinuerat,

nuerat, quippe electus demum Anno salutis 841. fortè rescribendum: DCCCXLIX.

Pag. 494. v. 12. Lege. XVI. scilicet Octobris. In Indice V. *Samson*, dele; *fictitius*.

Lib. 1. contra Replicatorem Caluinistam cap. 10. pag. 119. dele ista verba: *Quo tamen tempore non Anastasius hoc nomine secundus, sed primus cathedram Petri tenuit; nam secundus diu post exstitit, nempe sub Anastasio Eutychiano Imperatore, ad quem etiam Anastasij II. Papæ exstat Epistola.* Dele quoq; voculam, *Et*; & lege: *Sed iam in Baroniana*, &c.

Lecto-

Lectori.

AMice Lector. Tomo secundo de S. Cruce, edidi Orationem S. Sophronij Patriarchæ Hierosolymitani, in adorationem pretiosæ & venerandæ crucis mediâ Quadragesimâ, sed latinè tantùm edidi interprete Godefrido Tilmanno; quia Græcum textum, licet studiosè quæsitum, nuspiam inuenire potui: quem tandem repertum, huic Opusculo subnectere volui; vt si quando secundus Tomus de S. Cruce recudatur, cum Latina versione coniungi queat; sanctusq. Sophronius non tantum Interpretis, sed & sua lingua diuinæ Crucis Encomia celebret.

ΣΩΦΡΟΝΙΟΥ ΤΟΥ ΕΝ ΜΟΝΑΧΟΙΣ ΑΓΙΩΤΑΤΟΥ, ΜΕΤΑ ΤΑΥΤΑ ΔΕ ΠΑΤΡΙΑΡΧΟΥ ΙΕΡΟΣΟΛΥΜΩΝ ΟΜΙΛΙΑ

λεχθεῖσα εἰς τὴν προσκύνησιν τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ τῇ μέσῃ ἑβδομάδι τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς. καὶ ὅτι διὰ νηστείας εἰλικρινοῦς δυνατὸν ἐκκαθαρθέντας τὸν νοῦν, ἀκατακρίτως προσελθεῖν καὶ μεταλαχεῖν τῶν θείων μυστηρίων.

Οἱ τῶν ἰατρῶν παῖδες πολλάκις μὲν ἐπιγιγνώσκοντες τὰς εἰσόδους τῶν ἐπερχομένων, ἡμῖν νόσων φάρμακά τινα ἐξεπίτηδες κεραννύντες ἀποτρέπουσι τὰς δι' ἀνορεξίαν τοῦ σώματος μελλούσας ἐπεισέρχεσθαι ἀῤῥωστίας, πρὸς τὸ μὴ νομήν τινα λάβῃ καὶ δυσφόρητον ἄλγος ἐμποιήσῃ τῷ κάμνοντι. πολλάκις δὲ εἰώθασιν ἐκ τῆς πολυπειρίας καὶ τὰ ἐγχρονίζοντα πάθη τοῖς σώμασιν εὐχερῶς ἀποκρούεσθαι, καὶ μάλιστα εἰ τύχοι ὁ κάμνων ἑαυτὸν ἐπιδεδωκέναι ταῖς τοῦ ἰατροῦ χερσὶ, καὶ πειθήνιος γενόμενος ἕποιτο ταῖς πράξεσι ταῖς τούτου. τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ ὁ ἀγαθὸς ἡμῶν θεὸς πεποίηκε, καὶ φάρμακον ἀκεσώδυνον προστίθησιν ἡμῖν τὴν ἱερὰν ταύτην καὶ πανάριστον νηστείαν, οὐ χρόνοις καὶ καιροῖς ὁριζομένην, ἀλλὰ διηνεκῶς φυλαττομένην, ὡς τὰς ὀρέξεις τῆς σαρκὸς χαλινοῦσαν καὶ τὴν νομὴν τὴν ἐκ τῆς ἡδυπαθείας τῷ σώματι ἐπιγινομένην προσαναστέλλουσαν, πρὸς τὸ μὴ κατεστρατευσάμενον ἐκ τῆς καθ' αὐτὸ φιληδονίας

ὑποβρύχιον τὸ πνεῦμα ποιήσῃ, καὶ πλῶμα οὐ μικρὸν ἀπεργάσηται. καὶ γὰρ ὡς ἀληθῶς κατὰ τὴν τοῦ μεγάλου κήρυκος παύλου φωνὴν, ἀλλήλων προσάντη παρατάττονται, ἡ σὰρξ γὰρ, φησιν, ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος, καὶ τὸ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκός. ταῦτα δὲ ἀλλήλοις ἀντακειντα.

Διὰ τοῦτο οὖν, ἀγαπητοὶ τὴν τεσσαρακονθήμερον νηστείαν πεῦπλον ἅπασιν ἡμῖν προτέθηκεν, ὁ τῶν ὅλων θεὸς πρὸς τὸ περισσοτέρους πάντως ἀγῶνας καὶ ἀνατροπὴν τῶν ἀερίων πνευμάτων. ἵνα τελέως αὐτοὺς ἐκκαθάραντες, φθάσωμεν διὰ καθαρᾶς βιώσεως εἰς τὴν κυρίαν ἡμέραν τῆς τριημέρου καὶ ζωηφόρου ἀναστάσεως, καὶ καθαροὶ τῷ καθαρῷ ἡμῶν θεῷ ἐποφθειημένῃ καὶ συναναστησώμεθα, καὶ σὺν αὐτῷ δοξοσθησώμεθα, καὶ φιλικῶς ὑπ᾽ αὐτοῦ προσδεχθείημεν, ἐπεὶ καὶ ὁδοιπόρος, ὅταν ἐφ᾽ ᾧ τόπῳ ὀφείλῃ καθ᾽ ἡμέραν ἐπιβαίνειν, εἰ μόνον θεατὴς γένοιτο τῆς καταπαύσεως, τῆς ὁδοιπορίας πλείονα τὴν προθυμίαν πεποίηται, κἂν ἄρα εἴη κεκμηκὼς τῷ πλήθει τῆς χαλεπωτάτης ὁδοῦ, τῇ ἐλπίδι, τῆς ἀναψύξεως λίαν τρεφόμενος. καὶ γὰρ καὶ ἡμεῖς ὁδῖται ἐσμὲν διὰ τῆς βραχείας ἡμῶν ζωῆς ἀνατρέχοντες, καὶ τὴν διόδευσιν ἡμῶν ποιοῦντες, οἱ μὲν καλῶς ζήσαντες πρὸς τὰ ἄνω βασίλεια, ὅπου ἡμῶν τὸ πολίτευμα, καταντῶντες, οἱ δὲ ἀσεβῶς κατ᾽ ἐμοῦ, βιοτεύσαντες, ἐν λάκκῳ τοῦ κατωτάτῳ τῶν ἑαυτῶν παθῶν, οἷς καὶ καταδουλωθέντες βιοῦντες κατείχοντο, ἐν αὐτοῖς ἐκεῖθεν κατωρυγμένοι φανήσονται.

Καὶ πῶς, φασιν, οἷόν τε τινα ἀναδραμεῖν πρὸς τὰ ἄνω ἔτι περιόντα ἐν τῷδε τῷ βίῳ; πῶς; ἐγὼ λέγω διὰ τοῦ καθαρτικοῦ νοὸς ἀναπτερούμενοι καὶ ταῖς ἄνω δυνάμεσι συναγαλλόμενοι τὴν κατάλυσιν ἑορτάζοντες τοῦ πανόλου ἐχθροῦ, ὥστε ψυχῇ καὶ σώματι διὰ τῆς πραείας νηστείας, καὶ τῆς προσψαύσεως τοῦ ζωοποιοῦ καὶ ἀχράντου ξύλου, ὡς ἐκπύρωθεν καθαρθέντες συσσκιρτῆσαι, ὡς ἔφαμεν, ταῖς οὐρανίαις δυνάμεσιν, αἷς καὶ πολῖται γενησόμεθα, ἡνίκα κατ᾽ οὐρανῶν ὁ κριτὴς παραγένηται. Καὶ πῶς, φησι, τοῦτο γένοιτο; ὅταν ἁγνοῖς τοῖς χείλεσι διάτι τῆς τοῦ ἡγεμονικοῦ ἡμῶν ἐλλάμψεως, καὶ τῆς ἀποτροπῆς καὶ ἐναντιώσεως τῶν ἐναντίων πνευμάτων, τοῦ ζωοποιοῦ καὶ ἀχράν-

τοῦ

τοῦ σταυροῦ τῆς καθαρᾶς προσψαύσεως ἄξιοι φανισόμεθα, ἐπεὶ καὶ ὁ ἀγαθὸς ἡμῶν θεὸς διὰ τῆς τῶν ἁγίων πατέρων παραδόσεως τὴν ὁδὸν ἡμῖν ταύτην ἀνεδείξατο, τῆς ἐπωφελοῦς, φημι, νηστείας, ἵνα μικρὸν ἀναθέντες τῆς ἡμῶν ταλαιπορίας, τοῦ ῥύπου τε καθαρθέντες, καὶ τὰς τῶν παθῶν ἐπιβουλὰς ἀναστείλαντες τὴν τελείαν ἄφεσιν τῆς τοῦ ζωοποιοῦ ξύλου προσψαύσεως παρὰ τοῦ ἐν αὐτῷ παρέντος ληψώμεθα, ὡς λοιπόν ἐστιν ἰδέσθαι, ἑτέρως πως τῷ ἑτέρῳ συναντιλαμβανόμενον, καὶ χειραγωγοῦν πρὸς τὴν ἡμέραν τῆς ἀναστάσεως. ἡ μὲν νηστεία τὸ κοῦφον τοῦ σώματος ἀποτελοῦσα, ἡ δὲ τοῦ θείου σταυροῦ καθαρωτάτη προσκύνησις τὸν νοῦν ἡμῶν ἀπάγουσα τῆς τῶν αἰσχίστων ἔργων συγχύσεως, καὶ πρὸς τὰ ἄνω βασίλεια ἐπάγουσα. ταῦτα ὁ μεσίτης θεοῦ καὶ ἀνθρώπων γενέσθαι πεποίηκεν, ὁ τὴν ἡμῶν σωτηρίαν ἐν μέσῳ τῆς γῆς τῇ σωτηρίῳ αὐτοῦ τοῦ σταυροῦ προσηλώσει κατεργασάμενος, καὶ τῷ μεσασμῷ τῆς θείας ταύτης νηστείας χρηστὰς ἡμῖν ἐλπίδας ὑπέφηνε τῆς ἀναστάσεως.

Ἀλλ' ὦ νειστεία θεύσδοτον ἐργαστήριον, ἡ συγκόπτουσα ὡς πέλεκυς τὰς ἀναφυείσας ἡμῖν ἐμπαθεῖς ὀρέξεις, ὅπερ ἀπολέσας ὁ Ἀδὰμ ἐξόριστος δέδεικται τῆς τοῦ παραδείσου συμβιώσεως. συντηρήσας δὲ Μωϋσῆς θεόπτης ἐγένετο. ὦ νηστεία δυνατωτέρα πυρὸς, ἡ τὸ πῦρ τὸ χαλδαϊκὸν τεφρώσασα, καὶ τοὺς τρεῖς παῖδας ἀτρώτους διαφυλάξασα. ὦ νηστεία ἡ τὸν προφήτην ἰωνᾶν λοπήσασα, καὶ τὴν νινευϊτῶν πόλιν φυλάξασα, καὶ εἴ τις τὰς ὁδοὺς τῆς νηστείας ἐθελήσειεν ἐξιχνιάσαι, τάχα ἂν δυνηθῇ καταλαβέσθαι τὰ θεοῦ ἄπειρα κρίματα.

Ἀλλ' ἵνα μὴ τὴν νηστείαν μονὴν, καὶ τὰ ζωοποιὰ αὐτῆς χαρίσματα ἐγκωμιάσωμεν, φέρε προθῶμεν ἐν μέσῳ τὸ ἐν μέσῳ τῆς νηστείας προτεθὲν ἡμῖν ζωοποιὸν ξύλον τοῦ τιμίου σταυροῦ, καὶ ἐν μέσῳ τῆς γῆς προσπαγὲν εἰς σωτηρίας ἡμῶν. τί καὶ πῶς αὐτὸ ἀνυμνοῦντες ἔν τε στόματι καὶ καρδίᾳ; οὕτως εἴπωμεν βοῶντες καὶ λέγοντες αὐτῷ. χαίροις σταυρὲ τίμιε, ἐν ᾧ τὰς χεῖρας ὑφαπλώσας ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς καὶ λόγος ἐνηγκαλίσατο ἡμᾶς καὶ προσήγαγε τῷ ἐπουρανίῳ πατρί. χαίροις σταυρὲ δι' οὗ ἐκκαθαίρονται ἡμῶν αἱ αἰσθήσεις πάσης κηλίδος διὰ τῆς ὁλοκαρδίου ἡμῶν ἐν σοὶ περιπλύξεως. χαίροις σταυρὲ ὁ χαρὰν ἀνεκλά-

λητον τοῖς πατράσιν ἡμῶν διὰ τοῦ ἐν σοὶ καθηλωθέντος ἀψευδῶς προξενήσας. χαίροις σταυρὲ ἐκθάμβωσις τῆς φλογίνης ῥομφαίας ὡς νῶτα δέοις διὰ σοῦ τῷ εὐγνώμονι λῃστῇ. χαίροις σταυρὲ ὃν κατέχοντες ἡμεῖς νυνὶ ὁ πιστὸς λαός, τὸ ἔθνος τὸ ἅγιον εἰς ἱκετηρίας σοὶ προσάγομεν τῷ ἐν σοὶ προσπαγέντι χριστῷ καὶ θεῷ, διὸ καὶ πάνυ καυχώμεθα ἐπὶ σοί, ὡς τοῦ δεσπότου ἡμῶν ἐν σοὶ τὰς ἀχράντους χεῖρας ἐκτανύσαντος, καὶ ἐν σοὶ ἐκχυθέντος τοῦ θεορρύτου αἵματος τοῦ υἱοῦ καὶ λόγου τοῦ ἀοράτου πατρός, οὗτινος οἱ εὐσεβῶς μετέχοντες σήμερον ἐξιλεοῦνται τῷ ζωοποιῷ ἡμῶν θεῷ ἐπὶ τῶν ἤδη κακῶν αὐτοῖς πλημμεληθέντων, καὶ τὴν λύσιν αὐτῶν διά τε τὴν αὐτοῦ πρὸς ἡμᾶς γενομένην ἄκρας συγκατάβασιν, καὶ διὰ τῆς ἀναμνήσεως τοῦ ζωοπαρόχου αὐτοῦ πάθους εὐχερῶς πορίζομεθα. χαίροις σταυρὲ νικοποιὸν ὅπλον τοῦ μεγάλου βασιλέως, ὃ ἐν τῇ δευτέρα καὶ φρικτῇ αὐτοῦ ἐλεύσει μέλλων συνδιαπορηθῆναι ταῖς οὐρανίαις δυνάμεσι, καὶ ταῖς τῶν δικαίων ἁπάντων ὁμηγύρεσιν, οἳ καὶ συνεκλάμψουσί σοι ὡς φωστῆρες, δηλοῦντες καὶ προοδοποιοῦντες τὴν ἔλευσιν τοῦ βασιλέως τῆς κτίσεως ἁπάσης, οὗ ἡ ἐνέργεια τῆς χάριτος, καὶ τοῦ ἀμηχάνου κάλλους, τῆς ἐν σοὶ ἐναποκειμένης δόξης, ἣς ἔλαβες παρὰ τοῦ ἐπὶ σοὶ προσηλωθέντος ἰησοῦ ἐκφαντικώτερον σὺν τοῖς δικαίοις συναστράψει εἰς αἰσχύνην μὲν τῶν ἰουδαίων, εἰς καύχημα δὲ τῶν τὰς ἰδίας καὶ θείας σοῦ ἐνεργείας ἐν τῷ πάχει τούτῳ, καὶ βαρυτάτῳ σαρκίῳ τεθεακότων.

Ἀλλ' ὦ σταυρὲ τίμιε φύλαξ μὲν ἀσφαλέστατε τῶν χριστιανῶν, ἀναιρέτα δὲ δυνατώτατε ἁπάντων τῶν ἐναντίων ἐφόδων, αὔγασον ἡμᾶς· τῇ σῇ ἐναποκειμένῃ αἴγλῃ, φώτισον ἡμῶν τὸ ὀπτικὸν τῆς καρδίας, ἵνα καὶ ἡμεῖς ἑλώμεθα τοιοῦτόν τι πεπονθέναι, οἷον ἐπὶ σοὶ πέπονθεν ὁ υἱὸς καὶ λόγος τοῦ ἀοράτου πατρὸς ὑπὲρ αὐτοῦ τε ἡμᾶς, ὥσπερ αὐτὸς ὑπὲρ ἡμῶν θεῖναι μέχρι θανάτου τὰς ἡμετέρας ψυχάς. καὶ γὰρ εἰ τοῦτο ἑλέσθαι θελήσωμεν παθεῖν, καὶ τὴν καλὴν ταύτην ὁδὸν καὶ χρηστὴν αἱρετίσασθαι, δυνησόμεθα μετ' εὐκολίας καὶ τοῖς πάθεσιν αὐτοῦ συμμορφωθῆναι, ἧς ἀκατακρίτους διὰ τῆς σῆς ἐνεργειῶν δυνάμεως φθάσαι καὶ γενέσθαι θεάμονας ἀξίους καὶ προσκυνητὰς τῆ

ἀκατα-

ἀκαταμαχήτῳ ἐξουσίᾳ τοῦ διά σου θάνατον νεκρώσαντος, ποίησον, κατιθεῖν δὲ ἅμα καὶ τὴν λαμπροφόρον ἡμέραν καὶ φαεσφόρον τοῦ πάσχα μεθ᾽ ἱλαρᾶς εὐφροσύνης ἀξίωσον, εἰς ἀρραβῶνα μὲν τοῦ ἐκτυπωτέρου τε καὶ ἀληθεστέρου πάσχα, εἰς ἀπόλαυσιν μὲν τῶν αἰωνίων ἐκείνων ἀγαθῶν, ὧν γένοιτο πάντας ἡμᾶς μετασχεῖν χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεθ᾽ οὗ τῷ πατρὶ δόξα, ἅμα καὶ τῷ ἁγίῳ αὐτοῦ πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων ἀμήν.

F I N I S.

INDEX, RERVM PRÆCIPVARVM,
quæ in hoc Syntagmate continentur.

A.

B.

C. Caroli

C.

Hugo.

O.

P.

R.

S.

T.

V.

Errata.

Pag. 4. vers. 27. verbi, *lege*, verba.
pag. 57. vers. 4. pro, *lege*, præ.
pag. 23. Luherica, *lege*, Lutherica.